
EPITOME
JURIS CANONICI
CIRCA ELECTIONES FACIENDAS

IN LUCEM EDITA

AUCTORE R. P. LUCA
à Sancto Joanne.

Congregationis Discalceatorum
Ordinis Sanctissimæ Trinitatis
Redemptionis Captivorum.

URBIS SEDENENSIS
in Gallo-Provincia.



ANTUERPIÆ,
Apud JOANNEM FRANCISCUM
VALFRAY.

M. DCC. V.

APPROBATIO.


NOS Ludovicus Henricy in sacris decretis Doctor, Prior Commendatarius Ecclesiarum de Guillelmis, ac Rector Parrochialis beatæ Mariæ Magdalenæ Civitatis Aquensis, fidem facimus, perlectum à nobis Libellum inscriptum, Epitome Juris Canonici circa electiones faciendas, Authore R. P. Luca à Sancto Joanne Provinciali Congregationis Discalceatorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, nec solum in eo nihil inventum, quod sacrorum Canonum & Apostolicarum constitutionum sanctionibus adversetur. Sed potius reperta sic elucidata quam plurima, ut futura sint in multis, ac maximè in consessibus ac electionibus regularium utilissima. Datum Aquis die 12. Julii 1705.

HENRICI Prior ac Rector.

APPROBATIO.

EGO infra ſcriptus ſacræ Theologiæ Lector Jubilatus, nec non ex Provincialis Provinciæ Sancti Ludovici Ordinis Minorum regularis obſervantiæ, legi Librum, cui titulus eſt *Epitome Juris canonici circa electiones faciendas* in Lucem edita, authore R. P. Luca à S. Joanne Congregationis Diſcalceatorum SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, bis & iterùm Miniſtro Provinciali, in quo nihil inveni contra fidem, & bonos mores, ipſum igitur typis, committi digniſſimum judico, cenſeo, & peropto. Maſſiliæ die 2. Julii 1705.

F. BARTH. DURAND.



TRACTATUS

DE

ELECTIONE.



UM Religiosi vi votorum quamdam constituant unitatem fundatam in communitate vix ac vix illa sustineri potest, nisi quatenus bono regimine superiorum dirigitur; nec mirum si in hoc tractatu

erunt tantum ponderanda ea quæ pertinent ad validam, & ad licitam ſuperiorum Electionem faciendam, quod totum deducitur ex authoritate Juris Canonici, Doctorum argumentis, & varijs rationibus, tam naturalibus, quam congruentibus, ut Religioſi ſub Superiorum gubernio, melius, perfectius, & ſecurius, ad illorum ultimum finem tendere valeant.

LIBER UNICUS

DE ELECTIONE.

ANTEQUAM procedatur ad Electionem, prius ſciendum eſt quid ſit Electio, quæ biifariam uſurpa-

ri poteſt. Primo ſtrictiſſimè, quatenus ſumitur pro quacumque vocatione, aut inſtitutione ad dignitatem, aut Beneficium. Secundo ſtrictè, & propriè, quo pacto ſic definitur: *Electio eſt Canonica vocatio alicujus perſonæ ad dignitatem ſecularem, ſi ſit ſecularis, Eccleſiaſticam vero, ſi ſit Eccleſiaſtica*, dequa nunc tantum eſt quæſtio.

Dicitur 1°. Canonica vocatio, ut inde videatur formam à Sacris Canonibus præſcriptam ſervandam eſſe; ratio deſumitur ex eo quod, cum Papa omnium Prælatorum ſit caput, conſequenter ad ipſum pertinet, vel illos eligere, vel tradere modum quo eligantur, qui modus eſt obſer-

vandus ab electoribus.

Dicitur 2. Canonica, ut obſerventur ea quæ in jure Canonico continentur, quæque triplex eſt, vel per ſcrutinium, vel per compromiſſum, vel per inſpirationem, quod deducitur ex cap. *quia propter de electione & electi poteſtate.*

CAPUT. I.

Quotuplex eſt Electio.

RESPONDEO triplicem eſſe ut ſupra, & ad majorem intelligentiam ſciendum eſt, quædam eſſe de ſubſtantia Electionis quibus omiſſis, vel in parte, vel in toto, electio redditur nulla, & irrita ipſo facto; quædam vero

de solemnitate tantum, quæ quamvis non irritent Electionem, reddunt tamen illam irritandam per sententiam judicis, si fiat oppositio, ut videbitur in sequentibus. His igitur suppositis.

Quantum ad Electionem per scrutinium multa essentialia requiruntur. Primum ut cum libertate fiat ab electoribus, sine qua ruit Electio. *Ex cap. ubi periculum* §. *cæterum de Electione in 6°.* Secundum quod omnes qui habent jus ad Electionem, (& volentes) ad locum ad id deputatum congregentur. Tertium quod ex congregatis, tres, aut duo si pauci sint assumantur ad Electorum suffragia scrutanda. Quartum quod Electores suffragent se-

creto. Quintum quod nomen eligendi ſit ſcriptum vel ab Electore, vel ab alio ad id deputato. Sextum quod aperto ſcrutinio ſtatimque publicetùr. Septimum facta publicatione, nomina quæ in ſcrutinio repeþriuntur de numero ad numerum ſunt declaranda. Octavum facta tali numeratione & publicatione per unum de eligentibus ad id deputatum, & potiſſimum à præſidente capituli his vel ſimilibus verbis dicatur publice, *Ego nomine meo & omnium eligentium qui mecum conſentiunt Eligo in N. &c. In nomine Patris & Filij & Spiritu Sancti. Amen.*

Alia vero quæ ut plurimum obſervantur in Electionibus per ſcrutinium, cum non ſint eſ-

ſentialia, non irritant, poſſunt tamen reddere Electionem irritandam ſi ſit oppoſitio: ut Invocatio, & Miſſa Spiritus Sancti; Electio ante ſepulturam illius qui erat Prælatus & ob quem datur Electio, niſi in ſtatuto particulari tales conditiones non declarentur eſſentiales & aliæ apponendæ, modo ut non ſint juri communi contrariæ.

Electio vero per compromiſſum eſt, quando omnes capitulares legitimi dant jus alicui vel aliquibus de eligendo idoneo, quod erit, vel abſolute, vel limitate, quodque ab Electoribus erit religioſiſſime obſervandum.

Unum nota quod ſi jus eligendi detur uni tantum & ab-

ſolute protunc, ſi ſe ipſum eligat quamvis non ſit licita Electio, propter periculum ambitionis, eſt tamen valida, nam quando in cap. *per noſtras de jure patronatus* habetur, *nemo poteſt ſe ad perſonatum alicujus Eccleſiæ præſentare*, illa particula, non poteſt, non reddit actum invalidum ſed tantum illicitum ita Peliz. Tract. 9. cap. 2. n. 2.

Et ut compromiſſum habeat locum, iſta Potiſſimum ſunt obſervanda. Primo Compromiſſarij ſunt eligendi ab omnibus Compromittentibus nemine diſcrepante, *quod omnes tangit ab omnibus debet approbari ex regula 30. juris in 6°.* Secundo compromiſſum non debet eſſe de perſona eligenda

determinata. Tertio in Electione compromissoria ea omnia sunt observanda quæ in Electione simpliciter dicta observantur. Quartò compromissarij nunquam debent excedere formam compromissi. Et Quinto Electio à talibus facienda, de persona digna debet esse: nam si eligatur indignus, compromissarij identidem suspenduntur à Beneficijs ad Triennium quæ possident in dicta Ecclesia & compromittentes acceptantes talem Electionem, ipso facto privantur jure eligendi & compromittendi ex cap. *si compromissarius de elect. in* 6°.

Unum tamen notandum, potestatem semel concessam. Compromissarijs non posse re-

vocari, si circa compromissum res jam fuerit incepta. ex cap. *in causis de elect.* Perez tamen observat Tract. 9. cap. 2. n. 11. si unus ex Compromissarijs eligat dignum, alij vero manifeste indignum, Electio digni erit valida nec proinde dabitur devolutio ad capitulum ob culpam aliorum.

Electio vero per inspirationem, duplex est, una quæ dicitur communis & altera quasi inspiratio. Prima est quando omnes Electores nullo præcedente tractatu unanimiter, & una voce aliquem derepente eligunt, qualis fuit Electio D. Ambrosij in Episcopatum, sicut D. Martini, & D. Nicolai, talis autem modus proprie non dicitur Electio, sed potius

motu Spiritus Sancti, qui non ſubijcitur legi, aut decreto quod reperitur in cap. citato. Secunda vero, quando unus poſt alium, nullo dato intervallo, omnes eligunt, & cum talis modus eligendi ſit ſuſpectus de præventione, ut dicatur Electio valida, eget confirmatione. Ita omnes Doctores cum Sigiſmundo de dub. 2. n. 5.

Et ut talis Electio per quaſi inſpirationem ſit valida, omnes Electores unanimiter conſentire debent, ſine aliquo prævio tractatu præhabito de perſona nominatim eligenda, quod eſt apprime notandum; Reliqua vero quæ ſequuntur ad talem Electionem ſunt obſervanda, ſicuti diximus cum de Elec-

ctione per ſcrutinium, ut in ſequentibus videbitur cum de Electoribus.

Exinde ſequitur Electionem per ſortem non tantum eſſe illicitam ſed & invalidam. Ex cap. *Eccleſia veſtra de ſortilegijs.* Ratio deducitur ex D. Thoma. 2. 2. q. 95. art. 8. Electio per ſortes eſt cœca, cum ſoli fortunæ committatur, & D. Ambrozio Tom. 5. ſuper Lucam cap. 1. Tit. de ingreſſu Zachariæ ante medium dicit, *qui ſorte eligitur humano judicio non comprehenditur*, maxime cum talis modus operandi, non agnoſcat meritum aut demeritum, quod eſt tamen reſtringendum ad ſolam ſpiritualem ſeu Eccleſiaſticam Electionem, non autem temporalem,

ſeu Laicalem, quæ reſpicit diviſoriam ſortem, ut quando aliqui volunt concorditer dividere, & exponunt ad ſortem diviſionem, tunc quaſi fortunæ exponunt partem quam quiſquis recipiet, quæ quidem Electio in jure Civili non eſt prohibita.

Quæritur tamen 1°. an dato Tridentino ſeſſi. 25. cap. 6. de regul. capitulares poſſint uti talibus modis ſupradictis indiſcriminatim in Electionibus ſuorum Superiorum. Notandum tamen quæſitum non eſſe de inſpiratione ut diximus ſupra ſed tantum de compromiſſo & quaſi inſpiratione.

Reſp. igitur affirmative quia Tridentinum non derogat capitibus juris communis à nobis

citatis, nec precipit ſimpliciter ut Electio fiat per ſcrutinium primo modo ſumptum, ſed ſuppoſito quod Electio fiat per compromiſſum, vel quaſi inſpirationem modus traditus à Tridentino eſt ſervandus, quantum ad ſecretum ſuffragiorum, alioquin Electio erit nulla, *ſi vero ait Tridentinum, contra hujus decreti conſtitutionem, aliquis electus fuerit, Electio irrita ſit.* Ita Miranda Tom. 2. q. 23. art. 4. Lezana tom. 1. q. 15. n. 11. & Antonius à Spiritu Sancto de electione Canonica Tract. 5. diſp. 4. ſect. 2. n. 24.

Quæritur 2°. an Electio facta contra formam juris Canonici ſit valida ſi cœtera requiſita jure divino & naturali ha-

beantur. Reſp. affirmative in foro interno, quia ideo jus Canonicum talem introduxit formam, ut pericula animarum tollerentur, ſicut & locus ſeditionis inter illas, ſed hæc omnia ceſſant, obſervato jure divino & naturali, ergo &c. & talis ſic electus, & confirmatus eſt vere Prælatus, nec tenetur in conſcientia, huic renuntiare dignitati. Ita Peyrinis de ſubdito q. 1. cap. 31. §. 6. dicto. 5. In foro vero externo, talis Electio erit nulla, quia actus contra juris diſpoſitionem quæ continet decretum irritans eſt ipſo jure nullus. Ita communiter Doctores.

Et ideo quando Electio devoluitur ad Superiorem, tunc

tales superiores tenentur observare formam capitis. *quia propter de Elect. & Tridentini citati.* Alioquin Electio ab ipsis facta erit nulla. Ita declaratum fuit à B. Pio V. Clemente VIII. & Paulo V. quia Electores particulares nunquam possunt commutare formam electionis in jure stabilitam, ad quam semper tenentur, ratione delegationis. Ita Samuel Lublinus Tract. 1. controvers. 34. n. 11. & 12. Antonius à Spiritu Sancto citatus n. 34. qui dicunt tales Electores non observantes formam juris, privandos esse jure eligendi, attamen, donec per sententiam judicis priventur, possunt reiterare Electionem, cum pro tunc habeant jus Eligendi, donec

donec eis aliud notificetur.

Quæritur. 3. quo loco & tempore ſit facienda Electio.

Quantum ad primum, Reſp. Locum non eſſe de ſubſtantia Electionis, ſed tantum de ejus ſolemnitate, & ſic Electores congregati in quocumque Loco, obſervando ea quæ ſunt de jure communi eligendo, valide faciunt: attamen in ſimilibus actibus faciendis, Locus deſtinatus & conſuetus eſt ſemper obſervandus ita Sam. Lublinus Tract. 1. diſp. 2. controver. 16. n. 13. Anton. à Spiritu Sancto ſect. 3. n. 35. & 36. & alij communiter qui notant tamen quod ſi Electio fieret in Camera particulari, & ſecreto, & per occulta conventicula, cenſe-

retur clandestina, ideoque esset cassanda ita etiam Peyrinis Tom. 1. de subdito q. 1. cap. 31. nota 4°. nisi talis camera esset determinata ad Electiones faciendas.

Quantum ad secundum, tempus à jure canonico stabilitum est semper observandum, non tantum in causa electiva sed etiam devolutiva, quale tempus determinatur ad tres menses à die vacationis, ex cap. *ne pro defectu de Electione*; *statuimus ut ultra tres menses Ecclesia, vel regularis Prælatio non vacet*, nisi speciali statuto à Sede Apostolica approbato contrarium evincatur, quale habetur apud Carmelitas Discalceatos in tertia parte con-

ſtitutionum cap. 6. n. 1. elapſis igitur tribus menſibus, Electio devoluitur ad Superiorem immediatum, qui ſi intra alios tres menſes non providerit, ad alium ipſi Superiorem devoluitur, & ſic uſque ad Papam.

Electione igitur facta, Electores intra octo dies poſtquam commode poterunt, tenentur præſentare electo Electionem, alioquin ſuſpenduntur ab omnibus Beneficijs ipſius Eccleſiæ, ex cap. *capientes* §. *cæterum de electione in* 6. Electus vero intra menſem à præſentatione tenetur dare conſenſum (niſi ſit aliquis qui non ſit ſui juris) quo deficiente, Electores poſſunt procedere ad novam Electionem,

ex cap. quam ſit. & ex cap. ſi Religioſus. eodem tit. citato. & ſic Electus tenetur petere, confirmationem intra tres menſes, alioquin illius Electio cenſetur nulla ex cap. *quam ſit*, *citato*, niſi confirmatio ſit petenda à Papa, quæ eſt obtinenda intra menſem ex cap. *cupientes citato*. ipſe tamen confirmator nullum habet tempus in jure determinatum ad confirmandum, cum nihil habeatur expreſſum, ſuperior tamen confirmatoris, poterit illum obligare, ex quo defectu dabitur acceſſus ad Papam: habita prius in forma autentica recuſatione prædictæ confirmationis.

CAPUT. II.

De requisitis in Electoribus ad Electionem Canonicam faciendam.

CUM Electio canonica dicatur, canonica vocatio alicujus personæ idoneæ ad dignitatem Ecclesiæ vacantis, ideo modo sunt examinanda ea quæ scitu sunt absolute necessaria ad ipsos Electores, à quibus pendet canonica Electio pro quo stabiliendo.

Sciendum. 1. Electores debere esse de corpore capituli ad Prælatum eligendum qui tamen debent esse saltem tres, quod si ex illis unus moriatur

aut nolit accedere, alij duo procedere valent ad Electionem, quamvis enim communitas seu capitulum maneat aliquo modo imperfectum, attamen possunt valide eligere, quia tale jus eligendi non est personale sed reale, & ideo si omnes moriantur, vel nolint accedere, dempto uno, ille solus potest eligere. Ita Joannes Andreas supra regulam 80. juris in 6. quod si omnes moriantur ad Episcopum pertinebit, & ipso deficiente ad Papam, ne ovile Christi Domini propter defectum Pastoris patiatur damnum.

Unum tamen breviter notandum, tale jus nunquam præscribere, quia non est concessum personæ, sed ca-

pitulo, ſeu loco, & ſic accedentibus capitularibus reviviſcit jus ad illos. Ita communiter Doctores.

Sciendum 2. magnam eſſe diſparitatem inter præſentationem, Electionem, & conſecrationem; quod ad primam, populus poteſt accedere, cum conſiſtat in ſola petitione erga Superiorem, ad conferendam dignitatem perſonæ præſentatæ, quæ quidem dignitas denegari poteſt à Superiore, cum in ſola gratia conſiſtat; Electio vero eſt de natura juſtitiæ, quæ denegari non poteſt à Superiore, ideoque tenetur confirmare propter jus ab Electo acquiſitum quod non poteſt dici de poſtulatione, cum propter eam

nullum jus acquiratur : ea de causa illi omnes qui eligere possunt, & quoque postulare, non tamen vice versa. Non sine re D. *Leo Epistola* 95. *ad rusticum dixit nulla ratio sinit ut inter Episcopos habeantur, qui nec à Clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à Provincialibus Episcopis cum Metropoli consecrati*, exinde patet nominationem, seu postulationem ad plebem pertinere posse : Electionem vero ad Clerum, & consecrationem ad Episcopos.

Sciendum 3. jus eligendi ad dignitatem Ecclesiasticam nunquam conferri posse Laico ex cap. *Sacrosancta de Electione* nisi sit privilegium speciale concessum à Papa, quia jus

jus eligendi est spirituale, Laici autem spirituale conferre non possunt, ut patet, ex cap. *decernimus de judicijs*, nec Prælati inferiores Papa, tale jus Laicis cedere possunt, cum non possint dispensare in ijs quæ sunt de jure communi, tale autem privilegium, soli Papæ reservatum est, cum ille solus sit supra jus commune; nec usus, aut consuetudo in Laico, præscriptionem admittere potest, nisi bona fide & ab immemorabili supponatur titulus qui tamen esset probandus, & verificandus ab Ecclesia, quia Laicus ex jure communi est incapax possidendi Prælaturam Ecclesiasticam, ergo & eligendi ad illam, nisi ut dixi supra, ad-

ſit privilegium Apoſtolicum, pro tunc enim eliget, non authoritate propria, & Laicali; ſed tantum Apoſtolica.

Sed qua de cauſa Eccleſia concedit Laicis jus præſentandi ad Beneficium ratione Patronatus, non autem jus eligendi. Doctores reſpondent diſparitatem in eo eſſe, quod electio immediate terminetur ad electum, ratione cujus habet jus ad Beneficium, quod jus eſt ſpirituale ex cap. *quam ſit de Electione in* 6. & ideo inter Electores, & Electum efficitur velut matrimonium ſpirituale. Præſentatio vero ſeu nominatio terminatur ad Superiorem, à quo præſentatus jus Beneficij ſolum, & tantum recipit, his igitur ſuppoſitis.

Dico 1°. Electores debere esse in statu Clericali constitutos, quo defficiente, Electio erit nulla qui tamen Clericus, debet esse in statu Clericali saltem Subdiaconatus *ex Clementina ut ij qui de ætate & qualitate Ordin.* &c. & sic apud regulares, qui expresse vel tacite professi non sunt, sicut& Laici ad Electionem admitti non possunt ex cap. *ex eo quod* §. *in Ecclesijs de Electione & Electi potestate in* 6. ubi sic habetur, *in Ecclesijs quoque regularibus vel Monasterijs, hi qui non sunt tacite vel expresse professi, non debent cum professis, vel conversi Laici cum Clericis, Electionibus interesse*, ex quo Decreto Bonifacij

VIII. infertur, tales ut inhabiles sunt ejiciendi ab Electionibus; quod si dubitetur de ipsorum inhabilitate, erunt admittendi cum protestatione, quod illorum suffragia non plus valeant, quam de jure est illis concessum ita communiter Doctores cum Abbate in cap. transmissum n. 2. de Electione.

Et ideo si Elector sciat se esse inhabilem ad Electionem faciendam sive id proveniat ex delicto sive ex deffectu, sive sit publicum sive occultum, semper peccat mortaliter concurrendo ad Electionem. Ita Pelizarius Tract. 9. cap. 2. n. 86. ea de causa si omnes Electores sint inhabiles, Electio est nulla, quia proce-

dunt ad illam ſine jure, & ſic ſi aliquis eſſet privandus jure electionis, & tempore eligendi non eſt data ſententia declaratoria talis privationis, poteſt valide, & licite intervenire ad electionem, quia privandus antequam privetur juſte poſſidet ita Peirinis de ſubdito q. 1. cap. 31. §. 6. & Gelazius V. Elector n. 17.

Exinde infertur 1°. inhabilitatem unius vel aliquorum non irritare electionem quando alij non conſenſerunt vel non admiſerunt voluntarie, quia *utile non debet per inutile vitiari.* ex reg. 38. juris in 6. è contra vero ſi poterant talem inhabilem expellere & noluerint, cum reddantur conſcij talis inhabilitatis, pro tunc

talis electio est vitiosa & nulla. Pelizarius tamen dicit n. 88. talem Electionem non vitiari etiamsi admittantur inhabiles, quos noluerunt expellere, quamvis potuissent quia jura non loquuntur de nullitate electionis propter inhabiles simpliciter, sed tantum propter excommunicatos ex cap. *consulti sumus de procuratoribus*, cum igitur casus propositus, non sit expressus in jure, sed tantum propter excommunicationem, ideo ad illam tantum est extendendus.

Idem Pelizarius dicit quod si facta protestatione contra aliquem qui caret voce activa, cujus suffragium est superfluum, & si electio efficia-

tur, pro tunc erit valida, modo ut ad talem Electionem omnia alia de jure requisita concurrant, nam sicut illius suffragium, non prodest Electioni, nec etiam obest, cum sit superfluum. ita etiam Bordonius Tom. 2. resol. 61. n. 38.

Infertur 2. in Electionibus & postulationibus ac scrutinijs, ex quibus jus oritur eligendi, *vota conditionalia, alternativa, vel incerta pœnitus reprobanda*, talia sunt verba cap. 2. *de Electione in* 6. v. g. eligo Petrum, si major pars capituli eligat, aut si dicat eligo Petrum aut Paulum sicut & si eligeret personam notorie ineligibilem, aut si illius votum esset inutile, ut si quis

ſuffragando eligeret in Prælatum ſeu Superiorem. v. g. Papam : ideo in his & ſimilibus modis ſuffragandi, vota talium cenſentur nulla, nec aliquo modo ſunt computanda in numero vocalium v. g. ſi ſint novem capitulares, quatuor ſuffragent ſupra unum, duo vero ſupra alterum, tres vero ſupra carentem voce paſſiva, ille qui habet quatuor vota eſt valide electus à majore parte capituli, ex eo quod tres inutiliter ſuffragantes non ſint computandi in numero Electorum ex cap. *citato de Elect. in* 6°. ubi Inn. IV. ſic fatur *in Electionibus & poſtulationibus ac ſcrutinis ex quibus jus oritur eligendi, vota conditionalia, alternativa vel incer-*

ta pœnitus reprobamus; statuentes (ut hujusmodi votis pro non adjectis habitis,) ex puris consensibus celebretur electio : voce illorum, qui non pure consenserint ea vice, in alios residente.

Quod si quis sibi ipsi suffragaret ad comprobandam suam Electionem validam; timendo ne, v. g. ex septem vocalibus defficiat quartus, & in apertura scrutinij, omnium septem vota concurrunt ad seipsum, Electio erit quidem valida, quia illius suffragium censetur inutile, attamen merito erit irritanda, ratione indignitatis sibi causatæ ob irreligiosam ambitionem. Ita Pelizarius Tract. 9. cap. 2. n. 88. Magala V. Electio n.

53. Antonius à Spiritu Sancto tract. 5. disp. 2. sect. 1. n. 16. qui citat jus Canonicum sed sine fundamento cum de illo nihil dicat in tali capite.

Dico 2°. adhoc ut Electores sint habiles ad Electiones faciendas. 1°. Debent esse professi illius religionis cujus Prælatus est eligendus, & debent esse in Sacris Constituti ut diximus supra, nisi mandato Apostolico contrarium evincatur ut apud Franciscanos & Religiosos Sancti Joannis Dei, in qua Laici Eligunt & Eliguntur, & sunt vere Prælati.

2°. Non debent esse notorie excommunicati: quod si in Electione unicus tantum admittatur, Electio erit nulla

ex cap. *ad probandum de Sententia & re judicata*, nisi Electores ignorent invincibiliter talem esse excommunicatum, quia pro tunc votum excommunicati censetur pro non adjecto. Ita communiter Doctores.

Unum tamen notandum Electores de communi consensu, posse ad Electionem admittere excommunicatum toleratum, in quo casu Electio erit quidem valida, non tamen licita, modo ut omnes consentiant, nam si unicus tantum esset discrepans de capitulo, & ante Electionem exceptionem objiciat, modo ut faciat in forma, & cœteri Electores nolint audire & procedant ad Electionem, talis

Electio erit irritanda, quia in tali casu in capitulo admittitur extraneus, cum ratione excommunicationis censeatur talis; unde ad singulos capitulares pertinet, ne extraneus admittatur, & sic si talis excommunicatus Eligeretur, Electio esset valida, nec caput, *ad probandum citatum*, sicut & caput *consulti sumus de procuratoribus*. Nihil facit contra nos cum loquatur tantum de excommunicato vitando, tales tamen capitulares peccarent mortaliter, si Eligerent excommunicatum supradictum quia Eligerent personam indignam quod est intrinsece malum & semper in materia gravi, cum talis Electio sit irritanda, si

detur recursus, ita Suares de censuris disp. 13. sect. 1. n. 26. Peyrinis tom. 2. de Prælato q. 12. cap. 5. n. 15. & 16. & Antonius à Spiritu Sancto de Electione Canonica Tract. 5. disp. 2. sect. 2. n. 26. & 27.

3°. Electores non debent esse suspensi absolute, sive hoc sit à jure, sive ab homine, ex cap. *cum dilectus de consuetudine*, dixi absolute, nam minister qui est suspensus ab Officio, quamvis non habeat vocem activam, pro Electione discreti in Capitulo Conventuali, attamen habet vocem activam in Capitulo Provinciali, modo ut conveniat ei ratione Beneficij, à quo non est suspensus. Idem

dicendum est de illo qui suspenditur à Divinis & ab Ordine, modo ut quoque non suspendatur à Beneficio. Ita præter citatos Doctores Samuel Lublin Tract. 2. disp. 5. controver. 2. n. 17. & 23.

4°. Electores non debent esse interdicti ex cap. *is qui de Sententia excommunicationis* ubi habetur *nec Eligibilis*, *nec ad Eligendum cum alijs debebit admitti*, quod est tamen restringendum de interdicto dato à Superiore circa Electionem *ex cap. final. de Elect. & Electi potestate.*

An autem irregularitas privet voce Eligendi quamvis Silvester & Azorius Respondeant affirm. Attamen cum alijs omnibus Doctoribus Res-

pondeo negative quia irregularitas ut sic non privat voce activa, quando ipsi est jus Eligendi. Infamia tamen juris vel facti legalis, semper privat voce suffragandi, quia talibus infamibus, actus legitimi sunt interdicti, sed Eligere est actus legitimus ergo &c. Quod si infamia est meri facti, nullo modo privat voce Electiva cum talis pendeat ex sola hominum æstimatione, dequa parum est curandum exinde videtur omnem infamem esse irregularem non tamen vice versa.

5°. Electores non possunt Eligere indignum, scientia, moribus & ætate ex cap. *gratum gerimus de postulationes*, & cap. *cum in cunctis de Elec-*

tione. Electores igitur qui talem Eligerent in pœnam privantur jure Eligendi in Electione quæ occurrit primo facienda *ex cap. cum Evintoniensis Ecclesia de Electione*; unum tamen est serio notandum, quod si aperto scrutinio, Electores videant fuisse Electum indignum ut supra, possunt repetere scrutinium & alium Eligere qui nihil vitij patietur *ex cap. perpetuo Lib.* 1. *Tit.* 6. *de Elect. in* 6°. Ita Samuel Lublinus Tract. 1.disp. 4. controver. 16. n. 8. Antonius à Spiritu Sancto citatus n. 35. & 36.

Cum Electio ex Tridentino sess. 25. cap. 6. de Regularibus debeat esse secreta quæritur an scrutatores & compromissarij

promissarij teneantur ad illud. Respondeo tanquam certissimum, nunquam violari secretum sive ante sive post scrutinium, sine peccato mortali, quia id videtur esse directe contra Tridentinum in re gravi. Bassœus tamen V. Electio n. 6. & Paschaligius decisionis 262. n. 3. dicunt præceptum Tridentini esse tantum intelligendum in actu scrutinij, & si quis ante vel post Electionem alijs declaret cui votum dedit non peccat mortaliter.

Difficultas igitur tota est, an Electio sit nulla, si non servatur secretum in actu scrutinij Respondeo si unus Electorum in actu scrutinij publice manifestet suum votum,

etiam permittente capitulo, pro tunc Electio est nulla, immo etsi ignoranter hoc fecerit Elector. Ita declaratum est à Sacra Congreg. referente Sigismundo de Electione dub. 31. n. 1. ideo Superiores nunquam debent permittere quod quis publicet suum votum, ne Electio reddatur nulla, sicque si quis auderet attentare tanquam indignus est repellendus, pro hac vice à capitulo immo idem Sigismundus dub. 3. n. 7. superaddit, si Electores videant & nihil dicant, amittunt jus Eligendi quod fundatur in illa Regula juris in 6°. 44. *qui tacet consentire videtur*, nisi talis Elector ignoranter publicet, nam quamvis decretum

declaret talem publicationem ignoranter factam, reddere Electionem nullam; attamen non ligat alios Electores quoad pœnas. Ita Peyrinis tom. 3. in addim. ad Constitutionem Clem. VIII. cap. 9. n. 23.

An saltem Electio sit nulla si unus Electorum ostendat alteri cedulam permittente capitulo. Respondeo affirm. quidquid dicat Paschaligius decis. 264. n. 3. quia *Tridentinum* dicit. *Ita singulorum eligentium nomina nunquam publicentur*, nam particula singulorum, non sumitur tantum pro aggregatione omnium capitularium, sed etiam individuorum, ergo Electio sic facta erit nulla, potissimum cum

Tridentinum nullo modo talem authoritatem det capitulo, immo potius expresse id prohibeat. Ita Garcias, Miranda, Peyrinis citati.

Sed Electio erit ne irrita, si unus vel plures capitulares ostendant suas cedulas in fraudem, ut electio sit nulla. Respondeo esse validam, quia fraus delinquentium non debet obstare innocenti, maxime ignorante capitulo. ex cap. *finali de procuratoribus*. Alioquin ampla & larga via daretur fraudibus, quod alienum est à ratione, fraus enim potissimum dignoscitur, quando actus factus nihil prodest. Ita omnes Doctores.

Dico 3. Electionem debere esse liberam, ita ut si aliter

fiat, est ipso facto nulla ex cap. *ubi periculum de Electione in 6.* ea de causa Sacri Canones non obligant absolute Electores ad concurrendum ad Electionem cum dicant posse, si velint ex cap. *quod sicut. cap. quia propter de Electione*, Superiores tamen compellere debent Electores ad Electionem in genere, nunquam tamen in individuo, nempe hunc vel illum, quia pro tunc Electio esset nulla, & invalida ex cap. *publicato de Electione.* Ita communiter Doctores & potissimum Megala V. Electio. n. 6. ideo omnis Electio facta per metum cadentem in virum constantem redditur nulla, quia talis metus tollit liberum,

quod essentialiter requiritur in Electione, unde quando caput, publicato, dicit, ad quod per Superiorem si oportuerit compellantur, Doctores igitur notant talem compulsionem debere esse tantum generalem non autem *i*ndividualem quia pro tunc Electio non esset libera & consequenter nulla & invalida.

An saltem metus reverentialis reddat Electionem nullam. Respondeo negative quia cum talis metus consistat tantum in actu interno consequenter in eodem tantum annullat, non autem in foro externo, nam Ecclesia non judicat de internis, & sic talis sic Electus erit valide Electus.

Dico 4°. Electionem fac-

tam authoritate Sæcularium esse nullam & invalidam ex cap. *quisquis de Electione* ubi sic habetur, *quisquis electioni de se factæ, per sæcularis potestatis abusum consentire præsumpserit, contra Canonicam libertatem, & Electionis commodo careat, & ineligibilis fiat, nec absque dispensatione, ad aliquam valeat Eligi dignitatem.* Talis igitur Electio facta authoritate sœcularium dicitur per abusum, quæ sequitur quando Electores requirunt Laicos ut intersint electioni, sicut etiam quando ijdem Electores pro Eligenda certa persona requirunt authoritatem principis, vel ijsdem minis eligitur ita Inn. III. in cap. citato, &

ratio desumitur ex eo quod potestas Laicalis nunquam se ingerit in rebus Ecclesiasticis, nisi causet metum cadentem in virum constantem, & pro tunc facta protestatione Electio erit valida, modo ut sint tantum Electores Ecclesiastici quatenus jus habent ad eam. Quod si Laicus suffraget cum ijsdem erit nulla, quod deducitur ex eo quod, si capitulum conveniret, de Eligenda dignitate in Ecclesia Cathedrali, & committat Laico, Electio est nulla ex cap. *Sacrosancta de Electione*, à fortiori Electio erit nulla si admittatur Laicus ut dictum fuit supra.

Dico 5°. Electionem debere

bere esse simpliciter liberam, ita ut si sit aliquid obstans illi, reddi omnimodè irritam, & invalidam. Et huic suffragatur Concilium Lugdunense, cui præsedit Greg. X. ut refertur *in cap. ubi periculum* §. *cæterum de Electione in 6°.* hæc enim sunt verba Concilij *cæterum, cum arbitrium, vel inordinatus captivat affectus, vel ad certum aliquem obligationis cujusque necessitas adigit, cessat Electio, dum libertas adimitur Eligendi.* Et expresse prohibetur *illis qui Electionibus præsunt, ne libertatem Eligentium*, restringant ad unum de duobus, vel tribus quos proposuerint Eligendum cap. *cum terra de Electione*, quo loco Panormitanus ait,

consuetudinem illam, nulla temporum præscriptione valere posse, quæ capitulum Eligat aliquem ad alterius nutum, nec sit in libertate Electorum Electio ipsa; nam libertas est de essentia Electionis. Idem sentit Silvester V. Electio 1. n. 26. & Rodericus in quæstionibus Regularibus art. 10. allegat. Bullam Pij. V. sub anno 1571. quæ declarat, *si commissarius aliusve qui præest Electioni, convictus fuerit quocumque modo impedivisse libertatem Eligentium, removeatur ab Officio*, idemque Rodericus art. 11. scribit se vidisse tres Electiones annulatas, eo quod ij qui illis præsederant eas restrinxissent, ad tres aut quatuor

personas Eligendas.

Dico. 6. quando Electores omittunt aliquid pertinens ad formam essentialem Electionis Canonicæ, talis Electio ipso facto est nulla. ex cap. *cum dilecta de rescriptis, &* *ex regula juris Canonici* 65. *quæ contra jus fiunt debent utique pro infectis haberi*, quod confirmatur ex cap. *quia propter citato ubi Inn. III.* tradit formam Electionis servandam per scrutinium, & dicit faciendo contra, Electio non valeat. *Et ex Trid. sess.* 25. *cap.* 5. *de Regul.* & Monal. *Si vero contra hujus decreti constitutionem, aliquis Electus fuerit Electio irrita sit.* Quænam autem dicantur essentialia & de forma substantiali;

videantur quæ supra sunt dicta in principio cap. 1. istius tractatus.

Quæritur tamen an Electores ante Electionem possint inire consilium inter ipsos de persona eligenda, & sic faciendo sint suspecti de subornatione. Pro quo intelligendo.

Sciendum est subornationem aliam esse bonam quæ directe tendit ad bonum commune, & aliam malam in malum finem quæque fieri potest vel verbis, vel muneribus, adhoc ut suffragia Electorum aucupentur his suppositis.

Resp. 1°. Licitum esse inter Electores inire consilium de eligendo aliquo in supe-

riorem , suadendo virtutes unius, & si necesse sit vitia, & deffectus alterius concurrentis, ut sic dignus indigno & dignior minus digno præferatur, quia hujusmodi tractatus sunt necessarij ante Electionem ad bonam Electionem faciendam : nam sine notitia eligendorum, non potest fieri bona electio, sed per tale consilium antecedens, pervenitur ad veram notitiam eligendorum, ergo tale consilium non est prohibitum, immo maxime necessarium, alioquin Electores se haberent cœco modo, quod jure naturæ prohibitum est. Ita Samuel Lublin. de Electione Tract. 2. disp. 12. controver. 12. n. 5. Pelizarius Tract. 7.

cap. 6. n. 33. Giragus 1. part. dub. 6. n. 42. Ant. à Spiritu Sancto Tract. 7. cap. 6. sect. 7. n. 111.

Respondeo 2°. si tale consilium tendat ad subvertendas mentes Electorum, ita ut vitia eligendi occultentur & donis, precibus, aut minis, Electores obligentur ad Electionem faciendam, ita ut indignus digno præferatur, talis Electio, non tantum est impia, sed & nulla & irrita, quia omnis tractatus ambitiosus, potissimum in Electionibus prohibetur, non tantum jure positivo sed & naturali, cum sit ex se aliquid intrinsece malum, sed talis tractatus est ambitiosus ergo &c. Ita Sam. Lublinus cita-

tus n. 7. Giragus & alij communiter, caveant igitur sibi ipsis Electores ne prætextu virtutis, eligendo, effodiant sibi damnationem æternam.

Hinc sequitur quod Religiosus qui trahit voluntatem aliorum Electorum, vel in propriam utilitatem, vel in favorem sui, aut amici indigni, precibus importunis, donis obcœcantibus, minis inanibus & fictis, & alijs similibus, est vere simoniacus, quia in tali casu datur temporale pro spirituali nec valet quod dicitur ab aliquibus, hoc non fieri simpliciter, ut electio cadat supra suum intentum (ipsi viderint) sed tantum ad acquirendam

ſibi benevolentiam electorum, ex qua per accidens ſequitur Electio. Reſpondeo tamen nullo modo liberare ſe à peccato ſimoniæ, cum intentio illius ſit, ut ſequatur Electio, ſine qua non indigeret benevolentia Electorum & hæc propoſitio concidit cum 42. damnata ab Inn. XI. *uſura non eſt dum ultra ſortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia & gratitudine ſed ſolum ſi exigatur tanquam ex juſtitia debitum.*

Religioſus igitur qui trahit voluntatem aliorum, ſive directe, ſive indirecte ad ſuffragia danda indigno, vel minus digno, ut dignior non Eligatur, privatur ipſo facto Officijs quæ habet, & in

futurum redditur inhabilis ad alia obtinenda, ita declaratum fuit à Clem. VIII. in decretis pro reformatione Regularium, & renovatum fuit ab Urb. VIII. qui, & ultra confirmat pœnas datas de jure communi, contra tales simoniacos ambientes dignitates, vel pro seipsis vel pro alijs. Ita Pelizarius V. Electio n. 14. Nardus V. Electis n. 42.

Dixi supra privari ipso facto, quod est intelligendum data sententia declaratoria judicis de crimine patrato, ex qua sequitur pœna, & ideo non est judex qui dat pœnam, cum illius sententia terminetur tantum ad crimen: nam illæ particulæ,

ipso facto, & eo ipso, intelliguntur, statimatque reus convictus fuerit de crimine per sententiam. Nam si quis privaret se ipso facto Officio, & abstineret usu eligendi, infamaret seipsum, manifestando se commisisse aliquod delictum, propter quod privatur illis, sed præceptum detuenda fama est naturale & de privando Officio aut usu eligendi est tantum humanum, sed jus naturale prævalet positivo, ergo non tenetur etiam in conscientia seipsum spoliare, nisi fuerit convictus de crimine. Ita Sanchez in Decaloguo cap. 22. n. 19. & 20. & cap. 39. n. ultimo & Lib. 6. cap. 15. n. 65. & cap. 7. n. 39. Pey-

rinis de ſubdito q. 2. cap. 2. §. 11. dico. 3. Antonius à Spiritu Sancto Tract. 5. diſp. 2. n. 122.

Unum tamen breviter notandum, quod ille qui petit ab aliquo Electore, ut det ſuffragium pro indigno, vel minus digno, quamvis peccet mortaliter, non tamen incidit in pœnam juris, quia ſimplex petitio non eſt ſubornatio, nam ſubornatio ſupponit, minas, preces importunas & munera, ad Electionem extorquendam, quod non videtur in ſimplici petitione, quod eſt apprime obſervandum ad tollendos ſcrupulorum nidos qui horride quorumdam animas cruciant ita Garcias 1. Part. dub. 7.

n. 49. Antonius à Spiritu Sancto citatus n. 123. & omnes communiter Doctores. Fundati in jure Canonico maxime Tridentino ex quibus gravissimæ pœnæ inferuntur contra sic operantes ut diximus supra, si convicti sint de tali crimine.

CAPUT. III.

An Liceat aliquando Eligere dignum relicto digniori.

AD intelligentiam quæsiti sciendum 1°. quosdam esse casus in quibus dignus potest Eligi relicto digniori. Primus quando major pars Eligentium vult Eligere dignum, tunc talis Elec-

tor poteſt Eligere illum. Ita Portellus tit. de Electione. n. 20. Peyrinis in form. Litera E. cap. 2. n. 10. quorum ratio ſic aſſignatur, nemo tenetur ad actum fruſtatorium, ergo &c. parum enim refert quod dignior habeat meum ſuffragium, cum nihil ſit ei profuturum, immo ad bonum commune, & ad meum privatum multum referat auferre ſemina diſcordiæ, inter me, & Prælatum futurum, ergo cum certus ſim talem ſine meo voto eſſe eligendum, & potero quoque dare illi meum, cum hoc conducat multum, ad pacificam gubernationem, quod communi conſenſu Eligatur. Secundus, quando minus dignus

est magis acceptus communitati, modo ut non sit indignus. Imo potest Eligi indignus, quando nullus alius dignus invenitur, ob majora scandala, & damna impedienda. Ita de Lugo de justitia disp. 35. sect. 1. n. 5. ita etiam Lessius de justitia Lib. 2. cap. 34. dub. 12. n. 55.

Sciendum 2°. dignum posse Eligi relicto digniori, si necessitas & bonum commune Ecclesiæ id exigant, nam in Electionibus faciendis, non tam est attendenda meritorum remuneratio, quam utilitas Ecclesiæ, quia pro tunc qui videntur minus digni revera sunt digniores. Ita Solonius 2. 2 q. 63. art. 2. controver. 4. & Lessius citatus dub. 12.

n. 50. qui dicit, dignissimus censetur non qui sanctissimus, & doctissimus, sed qui omnibus consideratis putatur optime Officio satisfacturus. Ideo Doctores communiter dicunt. Primo si nobilis fuerit potentior, alias tamen dignus & utilis Ecclesiæ, præferendus est sanctiori, & eruditiori. Secundo si dives fuerit utilior, quia Ecclesia est ære alieno nimis gravata, præferendus est alteri, quamvis doctior fuerit, tertio si doctior fuerit utilior &c. quia opus est oppugnare inimicos Ecclesiæ & instruere ipsi subditos, præferendus est nobili, vel diviti. Ita Barboza Lib. decretalium cap. Officij de Electione.

His ſuppoſitis.

Reſpondeo Electores pro bono pacis, & quietis publicæ poſſe, & debere Eligere dignum relicto digniori, propter rationes ſupra datas, maxime quia Beneficia, & ſuperioritates in utilitatem Eccleſiæ ſunt inſtituta, & ad vitandas diſcordias, inter Eligentem, & Electum, quod contrarium eveniret, ſi non concurreret ad dignum, cum certus ſit moraliter de Electione futura, & votum illius circa digniorem nihil profuturum.

Unum tamen eſt ſemper cavendum quod proportio eſt ſemper ſeruanda inter dignum, & digniorem, alioquin bonum commune offenderetur, & juſtitia diſtributiva

non

non servaretur, quod est semper intelligendum respective ad utilitatem Ecclesiæ; & ideo dignior censetur esse, non qui sanctior & doctior, sed qui majorem utilitatem bono communi Ecclesiæ cui inservire debet est allaturus. Nam experientia comprobatur, quod magis gratus Electoribus, suavius gubernat, & melius, ac promptius obeditur illi, suavis autem gubernatio semper est utilior Ecclesiæ, in qua potissimum sistit finis Electionis, tum in spiritualibus, tum in temporalibus; & ideo tuta conscientia quis potest eligere dignum relicto digniori, propter rationes supra datas, maxime si in dicta majori parte,

adſunt aliqui viri docti, prudentes, & Pij pro tunc minus dignus cenſetur eſſe dignior, quo pacto ſervatur id quod dicitur à Tridentino ſeſſ. 24. cap. 1. de reform. *niſi quos digniores & Eccleſiæ magis utiles ipſis judicaverint* & à propoſitione 47. damnata ab Inn. XI.

Unum tamen te Moneo, Cariſſime Elector, quod in Electionibus faciendis Deum præ oculis ſemper habeas ut ſine velamine paſſionis, meliorem & utiliorem pro bono communi Eccleſiæ Eligas, nam dignitas ſubjecti, non eſt attendenda Metaphiſice, quod (bone Deus) multi faciunt, cum non quærant quæ Dei ſui ſunt ſed

quæ ſua ſunt. Ideo dignitas eſt deſumenda moraliter & pratice, ut Electi Eccleſiam ipſis commiſſam, utiliter regant, & gubernent, *nonne Deo reddere debent rationem talis villicationis*, hæc enim ſunt Verba Chriſti Domini apud D. Lucam. 16.

Superiores igitur religionum capita factionum prudenter evellere debent, ne legem Dei, cum ſcandalo proximi perfundant, clauſas igitur habeant aures, circa capita factionum, quæ tanquam ad azillum circa potentum preces, ut in tali tirannide ſœva ſe conſervent ? ſemper confugiunt. Recordentur quod Propheta dicit, *noli quærere fieri judex niſi va-*

leas virtute irrumpere iniquitates: ne forte extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua Ecclesiastici 7. Pacem igitur veram, concordiam sanctam, & perfectam charitatem, inter ipsis subditos introducere debent, ut boni mores introducantur, capita factionum annihilentur, & religio conservetur, & ut id facere valeant, nunquam alijs reformationem introducent, nisi prius seipsos reforment, ne dicant illis subditi, *medice cura teipsum. Lucæ.* 4.

CAPUT IV.

De requisitis in Eligendis ad Electionem Canonicam faciendam.

UT verus & Bonus Pastor quis in grege Domini dicatur; talia, ac tanta in Eligendo requiruntur, ut velle & operari in his indagandis vires mihi defficiant, attamen in auxilio mihi divinitus concesso confisus, qua brevitate potero, quæ absolute sunt necessaria paucis perstringam.

Unum necessario est supponendum, Electionem Canonicam fundari tantum in persona habili, nam in tan-

tum quis Eligitur, ut munere fungi possit ad quod est destinatus, ea de causa nunc sunt examinandi deffectus qui impediunt talem habilitatem, quique ad multos casus reducuntur, & paucis resolventur.

Primo ad Excommunicatos majori vel minori, quia excommunicatio ut sic privat nos passivo Sacramentorum, ergo à fortiori receptione Superioritatum, nec mirum si præsidentes capituli, antequam procedant ad Electiones, absolvunt capitulares à vinculo excommunicationis, eo fine tantum, ne Electiones reddantur nullæ & invalidæ. Idem dicitur de illis qui sunt in peccato publico

constituti. Ita D. Thom. quodb. 4. art. 2°.

Secundo qui semel reprobatus est ob aliquod vitium, talis enim non est Eligibilis ad aliquam dignitatem, nec in sua Religione in qua Professus est, nec extra. Ita Tamburinus de jure Abbatum disp. 5. q. 21. n. 4.

Tertio mendicantes qui transeunt ad non mendicantes etiam sub beneplacito Apostolico, nisi expresse, & specialiter dispensentur, nunquam habere possunt vocem, nec etiam eligibilitatem ad dignitatem quamcumque ex Clementina *ut professores de Regularibus*, *vocem*, *locum in capitulis non habere: etiamsi hoc sibi ab alijs concedantur.*

Prioratus quoque, Vicarios seu Ministros, & Curam animarum & regimen, non pro se possint, nec pro alijs exercere.

Quarto vitiatus magna corporis defformitate, ita ut scandalosam defformitatem causet, est etiam inhabilis, quod tamen relinquitur judicio prudentis Superioris. Ita Joan. Andreas in cap. 1. de corpore vitiato Lib. 1. Tit. 20.

Quinto qui de aliquo crimine est denuntiatus (nisi prius purgatus fuerit) non potest Eligi ex cap. *omnipotens de accusationibus*, his Verbis, *omnipotens Deus, valde grave est, ut vir, de quo tanta ac talia nunciantur (cum ante requiri & discuti debeant.) honoretur.*) Idem dicitur de

illo

illo qui munere chirurgi functus eſt, ex quo ſequuta eſt mors, etiamſi ſit peritus, & hoc fecerit cauſa pietatis tantum, ex cap. tua nos Lib. 5. Tit. 12. de homicidio, attamen ait textus, *ſi hoc fecerit cauſa pietatis, cum eo poſt ſatisfactionem miſericorditer diſpenſare poterit.*

Sexto ſimoniacus eſt ineligibilis. ex cap. *ſi alicujus Lib.* 1. *Tit.* 6. *de Electione* & ex Bulla Pauli II. *quæ incipit cum deteſtabile ſcelus ſimoniace.* Idem de homicida dicitur *ex can. ſi quis omnem cauſæ* 1. *q.* 7. & ex toto titulo 12. de homicidio Lib. 5. quia talis non ſolum jure humano, ſed & divino indignus eſt tali dignitate.

Septimo Monachus qui exit e ſuo conventu pro quocumque crimine etiam levi & occulto, eſt etiam ineligibilis ex cap. *poſt tranſlationem de renunciatione*, quod eſt intelligendum donec crimen fuerit purgatum, ita Petrus de Bias in direct. cap. 25. idem dicitur de perjuro ex cap. *querelam de jurejurando*. Quoniam non merentur Eccleſias regere qui ſunt crimine perjurij irretiti. Idem dicitur de Neophitis ob periculum perverſionis, quod tamen relinquitur judicio prudentis Superioris ex can. *quoniam multa & Canone ſicut Neophitus diſt*. 48.

Octavo qui alias per abuſum poteſtatis ſæcularis Electus fuit, & ita per ſententiam Superio-

ris declaratus, eſt ineligibilis in perpetuum, niſi authoritate Apoſtolica ad priſtinum ſtatum remittatur. *ex cap. quiſquis Electioni de Elect.*

Nono regulares ſententiati à Sancto Officio, etiamſi pœnitentiam adimpleverint & vere pœnitentes ſint, ſunt inhabiles, ad quaſcumque dignitates, & prælaturas regulares. *Ita declaratum fuit ab Urbano VIII. in Congregatione generali* 1626.

An idem dicendum ſit de infami, pro quo intelligendo ſciendum eſt infamiam aliam eſſe juris, & aliam facti. Prima eſt quando quis committit aliquod delictum ratione cujus in jure Canonico aliqua imponitur pœna quales ſunt

Excommunicati, ſuſpenſi, & Interdicti, Uſurarij, homicidæ, ſimoniaci &c. Secunda vero provenit ex delicto de quo in jure nulla efficitur mentio, hoc ſuppoſito.

Reſpondeo primo infamem ex jure, & facto, inhabilem eſſe ad Prælaturam & dignitatem quia *infamibus portæ non pateant dignitatum ex regula* 88. *juris in* 6°. *&* *ex cap. inter dilectos filios de exceſſibus Prælatorum.*

Reſpondeo ſecundo infamem mero facto, modo ut ſit emendatus, poſſe eligi, quia infames meri facti proprie non ſunt irregulares, nam talis infamia per pœnitentiam purgatur, cum quis cenſeatur purgatus, quando

post peccatum operatur bonum.

Hinc sequitur inquisitum de aliquo delicto non posse Eligi donec fuerit purgatus, quia pro tunc censetur infamatus. Ex can. *tantis Daniel dist.* 81. *& cap. cum in cunctis de Electione*. Unum tamen est notandum quod si quis denuntietur Superiori, à quo fieri debet Electio, pro tunc Superior potest Eligere hunc talem denunciatum, & deinde examinare crimen, propter quod est denunciatus, si constet esse criminosum, est privandus Beneficio. Si è contra tenet Electio. Ita Panormitanus in dicto cap. omnipotens n. 4. de accusatione.

Decimo illegitimi inhabiles sunt ad quascumque dignitates obtinendas quod deducitur ex dispositione juris communis, ita *cap.* 1. *de filijs Præsbiterorum*, ubi sic habetur *ut filij Præsbiterorum, & cæteri ex fornicatione nati ad Sacros Ordines non promoveantur, nisi aut Monachi fiant, vel in Congregatione Canonica regulariter viventes, Prælaturas vero, nullatenus habeant.* Ex quo infertur de jure communi, ad solum Papam pertinere, cum illegitimis ad Prælaturas obtinendas dispensare.

Ex privilegio tamen concessum fuerat ab Eugenio IV. & Julio III. illegitimos qui professionem in religione ap-

probata, emiſerant votum, manere diſpenſatos ad Sacros Ordines, & ad Prælaturas in eadem religione. Sixtus vero IV. reſtrinxit authoritatem diſpenſandi ad ſolos generales & Provinciales perſonaliter, & Sixtus V. de Medio pœnitus ſuſtulit tale privilegium, reſervando Sedi Apoſtolicæ talem authoritatem diſpenſandi ad dignitates & Prælaturas & Greg. XIV. conceſſit Clericis miniſtrantibus infirmis, ut Generales, & Provinciales in illorum capitulis reſpective, diſpenſare poſſint cum illegitimis ad dignitates & Prælaturas, quo privilegio gaudent omnes regulares habentes Bullam communicationis.

Quæ tamen diſpenſatio debet eſſe cum legitima cauſa, alioquin eſſet nulla, quia Papa non cenſetur cedere alijs, quod ipſemet facere non poteſt ſine culpa. Quamvis diſpenſatio facta à Papa, etiam cognita ut talis, ſit valida, eſt tamen ſemper illicita, & peccaminoſa. Ex D. Thoma 1. 2. q. 97. art. 4. quia ſic diſpenſans imprudenter operatur, & temere partem à toto corpore diſgregat. Nec enim ſola voluntas Principis ſufficit ad diſpenſandum in ſuis legibus, ut volunt quidam Doctores, quia ad faciendam legem, requiritur juſta cauſa tendens ad bonum commune, ergo & ad diſpenſandum. Quod confirma-

tur ex decreto Greg. XIV. ut diſpenſare poſſint cum illis, quos ſuffragantibus meritis ipſi dignos judicaverint. Ergo ut Superiores diſpenſare poſſint, id facere debent, cum prævia legitima cauſa, alioquin erit nulla. Juſtæ igitur, & legitimæ cauſæ ſunt, utilitas communitatis, ſcandalum, virtus, literarum ſcientia, morum honeſtas, vitæ integritas, fama perſonæ. Unum tamen notandum cum D. D. quod Superiores tanto difficilius concedere debent diſpenſationes, quanto turpius fuerint procreati tales illegitimi, ea de cauſa, illegitimationis qualitas eſt ſemper declaranda. Ita Sanchez Lib.

8. de matrim. disp. 17. n. 5. Navar. in manuali Præl ud. 9. n. 15. & Bonac. disp. 1. n. 1. q. 2. Punc. 3. n. 1. de leg. idem dicitur de Principibus Sæcularibus in concedendis dispensationibus, de quibus favente Deo fusius suo tempore agetur, cum de dispensatione legum & de dispensatione voti.

Dispensatus tamen ad dignitatem inferiorem non est dispensatus ad Superiorem, bene tamen è contra, quia dignitates inferiores in regularibus continentur eminenter in Superioribus, ad quod facit dictum vulgare, de majori ad minus licita est extensio & fundatur in illa regula 54. juris in 6. *cui licet*

quod est plus, licet utique quod est minus, quod deducitur etiam ex cap. *innotuit nobis de Electione.* Ita Panormitanus in dicto capite, qui consequenter concludit dispensatum in sæculo ad omnia Beneficia, non censeri dispensatum ad Prælaturas regulares, sicut & dispensatum in una religione approbata, si transeat ad aliam, quia dispensatio est stricti juris, & odiosa, quæ consequenter est stricte desumenda, nisi dispensatio ab habente authoritatem fuerit generalis, tum ad Sæculares, tum ad Regulares dignitates. Ita Tamburinus Tom. 1. disp. 5. quæst. 19. n. 9. & 10. Peyrinis de Prælato q. 2. cap. 5. an. 146.

usque ad 144.

Idem dicitur de Monialibus illegitimis quæ neque Abbatissæ, neque Correctrices esse possunt sine dispensatione, quæ quidem dispensatio est obtinenda à Prælato, sub cujus obedientia habentur, quamvis Rodriguez Tom. 1. q. 13. art. 21. dicat Moniales non indigere dispensatione contrarium tenent Navarra in summa cap. 27. n. 201. Sanctarellus variar. quæstionum q. 41. n. 7. & Peyrinis citatus n. 152. qui dicunt legem pœnalem loquentem de masculis extendi etiam ad fœminas.

Unum notandum illegitimum non posse admitti in Religione in qua Pater ejus sive

ante, sive post nativitatem professus est, si adhuc sit superstes, ut videtur in Constitutione Gregorij XIV. in qua ea quæ Sixtus V. de talibus illegitimis statuerat revocantur ad terminos juris communis, ita Lessius Lib. 2. cap. 41. dub. 3. n. 37. de statu Religioso.

Insuper nota quem dici legitimum, qui procedit ex legitimo matrimonio, vel saltem reputato pro tali. Ea de causa si mulier habita notitia probabili de morte Conjugis, accedat bona fide ad secundas nuptias, filij nati ex tali matrimonio, sunt vere legitimi, etiam vivente primo marito, quia talis ignorantia bona fide excusat

ab illegitimitate. Ita Peyrinis tom. 2. de Prælato q. 2. cap. 5. §. 9. n. 105. & sequentibus usque ad n. 113. ubi tractat de illis qui dicuntur legitimi, & quomodo illegitimus legitimetur usque ad n. 125.

Illegitimus vero dicitur qui ex patre & matre non legitime conjunnctis in facie Ecclesiæ oritur, nec mirum si in talibus quædam cruditas morum reperiatur, quod evenire potest, vel ab infecta radice, vel à negligenti parentum educatione, vel ex permissione Dei in detestationem talis peccati. Ea de re quidam volunt dicere; nullum bastardum in Catalogo Sanctorum fuisse adscriptum.

Quod ſine fundamento dicitur, cum Sanctus Albanus Martir fuerit natus ex inceſtu Patris cum propria filia. Ita refert Peyrinis Tom. 2. de Prælato q. 2. cap. 5. n. 125. in fine & dixit ſe legiſſe in theſauro Princip. Partis 3. pag. illi 515. Multa enim ignominioſa contra tales baſtardos à Doctoribus enumerantur quæ ad noſtrum intentum videntur inutilia, ſufficit enim dicere cum Henriquez Lib. 14. cap. 8. n. 10. quod iſta gens degener eſt, neque in bello fortis, neque in fide ſtabilis, neque honorabilis hominibus, neque Deo amabilis.

Illegitimi in duplici claſſe conſiderantur. Alij dicuntur

naturales qui nascuntur tales, ex parentibus tempore conceptionis vel nativitatis liberis ad ineundum matrimonium, alij vero spurij, qui oriuntur ex parentibus, qui tempore conceptionis, vel nativitatis, non poterant inire matrimonium, ob impedimentum, vel consanguinitatis, vel affinitatis, vel voti solemnis castitatis, vel vinculi matrimonij.

Illegitimus igitur per professionem factam in Religione approbata legitimatur non tantum ad Sacros Ordines recipiendos, sed etiam ad usum ordinum receptorum, quia jura fantur tantum de illegitimis, qui habilitantur ad Ordines, & cum nullam faciant

ciant distinctionem de suscipiendis, aut susceptis, nec consequenter est restringenda talis gratia, imo potius ad utrumque est extendenda, & sic quamvis talis per professionem dispensetur ad Ordines Sacros, non tamen ad Prælaturas, nec intra, nec extra Religionem, ut patet ex cap. citato. Ita communiter Doctores.

Diximus supra illegitimos posse dispensari à Generali, vel Provinciali, una cum capitulo ad dignitates regulares ejusdem religionis, modo ut pater illius vivens, non fuerit alias in dignitate constitutus in tali Religione; quia ita declaratum est in Constitutione 30. *Clem. VII.*

& *Constit.* 3. *Greg. XIV.* in quibus expressè habetur. *Filius illegitimus vivente Patre nullo modo admittatur ad Religionem, in qua ejus pater professus est, etiamsi habeat merita* ex quo infertur quod si non possint admitti ad professionem, multo minus gratiari quod confirmatur à Trid. sess. 25. cap. 15. de Reform. & sic posito quod admittatur professio illius erit valida, cum talia decreta non sint irritativa, sed tantum prohibitiva. Ita Rodriguez Tom. 3. quæst. regul. q. 10. art. 5.

Illegitimi igitur professi quamvis non possint promoveri ad dignitates, possunt tamen habere officia manualia conventus, modo ut illo-

rum pater non ſit actualiter Superior, ita Garcias de Beneficijs part. 7. cap. 3. n. 72. qui refert quoddam decretum Congregationis. Nullo tamen modo prohibetur talem illegitimum manere in eodem conventu, in quo pater ejus eſt, vel fuit Superior. Ex eodem Garc. n. 74. qui refert etiam aliud decretum.

Sed poſito quod filius illegitimus ſit diſpenſatus ad dignitates, Pater Religioſus poterit ne eligi ad eaſdem dignitates in eadem Provincia; imo & conventu in quo filius fuit Superior. Reſpondeo affirmative, quia id nullo jure reperitur prohibitum. 2°. Rationes filij erga patrem non

militant de patre erga filium, nam per filium magis repreſentatur incontinentia paterna, quam per patrem ipſum. 3°. Hic verſamur in materia odioſa quæ ſemper eſt reſtringenda. Ita Garcias n. 28.

Sed difficultas eſt, an ſi capitulum eligat quem illegitimum ſine prævia diſpenſatione, talis cenſeatur vere electus. Sanchez Lib. 8. de matrimonio diſp. 4. n. 15. Suarez & Sigiſmundus Reſpondent affirm. Sed cum Doctoribus citandis Reſpondeo neg. & primo quia talis modus diſpenſandi, pertinet ad ſummum Pontificem, qui ad leges Canonicas non tenetur, niſi quan-

irum ad vim directivam : inferiores vero Papâ dispensare non possunt, nisi cognita causa ergo non possunt conferre Prælaturam, nisi discutiendo, an aliqua ratio suadeat. Secundo probatur ex Canone, *qui in aliquo dist.* 51. ex quo decreto, puniuntur Episcopi ordinantes, sine prævia dispensatione, & illorum ordinatio importat suspensionem, sed Episcopi non essent puniendi, si prævia dispensatio non esset facienda, ordinatio tamen facta ab Episcopo est valida quamvis illicita, eo quod sit de jure Divino : quod non potest dici de dispensatione ad dignitates, cum sint de jure Ecclesiastico, quod irritat talem

dispensationem. Tertio infertur ex cap. *ex tua. de filijs Præsbiterorum*, Papa enim dat authoritatem Episcopo dispensandi, cum aliquibus filijs Præsbiterorum ad Beneficia habenda, quæ patres eorum immediate habuerunt, ergo si Episcopus non dispensasset, non poterant illa retinere in conscientia, ergo dicendum est dispensationem debere præcedere Electionem alioquin erit nulla. Ita Peyrinis de Prælato q. 2. cap. 5. n. 144. Silvester V. dispensatio q. 15. n. 21. Abbas in cap. cum in cunctis §. inferiora. n. 8.

Unum tamen paucis est notandum filio legitimo nullo modo prohiberi Prælaturam in eadem Provincia in qua, aut

in eodem conventu in quo pater ejus habuit Prælaturam, modo ut illi immediate non ſuccedat ex cap. conquerente. cap. ex Tranſmiſſa. cap. *ad hæc.* cap. *ad extirpandas de filijs Præsbiterorum.* ex quibus decretis infertur Alexandrum III. & Clementem. III. expreſſe præcipere quod tales filij non promoveantur ad illa Beneficia, & ſi jam fuerint promoti amoveantur.

Quamvis igitur illegitimi non poſſint eſſe Prælati virtute profeſſionis, poſſunt tamen habere officia manualia abſque diſpenſatione, cum ex ſe nullam importent juriſdictionem, qualia ſunt Procuratoris, Sacriſtæ, Janitoris, Confeſſarij, præſidentis

conventus in deffectum Prælati, quia ista & similia non fiunt per Electionem Canonicam, & amovibilia sunt ad beneplacitum Superioris.

Utrum autem possint esse magister noviciorum Peyrinis citatus n. 135. Respondet affirm. & affert decretum Congregationis sub die. 16. Januarij 1590. ego vero crederem apud nostrates negative, quia de illis datur vera Electio Canonica, quæ non est amoviblis à Superiore, idem dicendum est de Procuratore generali, deffinitore, sicut & de Vicario qui Jurisdictionem habent etiamsi à solo Superiore eligantur. Ita Portel. V. illegitimus n. 8.

Illegitimus non potest esse discretus

discretus in Capitulo Generali, vel Provinciali, cum enim careat voce passiva; non convenit habere activam, ubi omnes de Capitulo utramque habent, nisi adsit defectus ætatis vel ordinis pro passiva. Ita Rodrigues Tom. 1. Q. regul. Q 13. Art. 9. qui insuper addit, discretatum dicere personatum, quem gradum illegitimi habere non possunt, sic enim fatur Cap. *finale de filiis Præsbiterorum. Quocirca mandamus, quatenus prædictis personis, à personatibus, & dignitatibus & hujusmodi Beneficijs prorsus amotis, ea mandari conferre facias per illos ad quos de jure noveris pertinere. Et ne id de cætero præsumatur, districtius inhibemus.* Hæc sunt verba Greg.

IX. loquendo de illegitimis.

Undecimo, ad electionem Canonicam faciendam necessariò requiritur ætas à jure Canonico determinata, alioquin erit nulla, & ideo Superior regularis electus ante annum vigesimum quintum, ipso facto ipsius electio declaratur nulla, ex Cap. *cum in cunctis de electione* §. *interiora*, eligentes indignum contra formam hujus Capitis, privati sunt pro prima vice potestate eligendi ex eo. Cap. §. *Clerici*, ubi sic habetur. *Clerici sane si contra formam istam quemquam elegerint, & eligendi tunc potestate privatos, & ab Ecclesiasticis Beneficijs triennio noverint se suspensos; dignum est enim, ut quos Dei timor à malo non revocat, Ec-*

clesiastica saltem coerceat severitas disciplinæ. Ideo tales Superiores debent esse actu Sacerdotes, vel saltem intra annum fieri Sacerdotes de jure communi, quia vere curam animarum habent. Ex quo.

Infertur Fratres Laicos non posse in Superiores eligi, quia non possunt exercere actus jurisdictionis, nec etiam deputari posse ad illa munera quibus competit vox activa & passiva, ad electiones Canonicas faciendas, ut patet ex Clementina, *ut ij qui de ætate & qualitate &c.* nam ex Trident. Sess. 22. Cap. 4. de reform. habetur expresse, *nisi Subdiaconatus ordine sit constitutus, vocem in Capitulo non habeat*; sed Fratres Laici excluduntur à receptione

Ordinum, ergo & à voce.

Non possunt igitur Fratres Laici eligi in Superiores, nisi id concedatur ratione privilegij, quale videtur in Religione Sancti Joannis Dei, qui verè & legitimè sunt Superiores, quique quamvis non habeant jurisdictionem spiritualem, habent tamen potestatem dominativam, ut dicitur communiter de Monialibus. Ita omnes Doctores.

Quale autem tempus requiratur in Religioso à die professionis, adhoc ut possit eligi Superior; de jure communi nihil habetur determinatum, ideò recurrendum est ad Statuta particularia cujuscumque Religionis; nam in mea Congregatione ut quis possit eligi

in Provincialem, debet attingere annum duodecimum à Professione, & ad Deffinitoriatum, Ministeriatum, sicut & Magistrum Novitiorum annus octavus exigitur ab eadem Professione, & ad Vicariatum electivum Conventus annus quintus requiritur; sed posito quod quis eligatur ante tempus à Constitutione enunciatum, electio erit nè valida. Respondeo, neg. quia Constitutio loquitur modo præceptivo & negativo, hæc enim sunt verba Constitutionis, Part. 3. Cap. 14 N. 7. nullus habebit vocem activam in Capitulo, nisi in Sacris constitutus, & elapsis tribus annis à Professione, sicut & passivam pro Provincialatu duodecimo, & octavo pro

Deffinitoriatu, Ministeriatu, Magisteriatu, & quinto pro Vicariatu, &c.

Sed si quis sibimet in electionibus votum dederit. Respondeo primo, apud Franciscanos de Observantia, talem privari voce activâ & passivâ in perpetuum, ita Lantusca v. votum n. 2.

Respondeo secundò, talem electionem esse nullam ex Cap. *per nostras, de jure patronatus*, ubi Inn. III. dicit, *per nostras postulasti utrum Clericus ad vacantem Ecclesiam, in qua jus obtinet patronatus seipsum valeat præsentare (si idoneus sit) Respondemus negativè, quantumcumque idoneus sit, & quibuscumque studijs & meritis adjuvetur.* Ex quo infertur quod si

omnes Capitulares exirent è Capitulo uno dempto, ille solus non posset seipsum eligere quamvis meritissimus, ita Peyrinis de subdito Q. 6 Cap. 31. §. 3. & à fortiori ex quatuor Capitularibus si omnium vota in scrutinio reperiantur in favorem unius illorum.

Duodecimo, falsificantes Litteras Apostolicas ex Felino in Cap. de Rescriptis, v. stilus Curiæ Ostiensis in Summa de crimine falsi §. qualiter v. sed hodie. In peccato mortali publico ex S. Thoma quod 8. H. 4. Art. 2. quia censentur infames, perjuri, nominatim denunciati, ex Cap. *quærelam de jure jurando*, modò ut non necessitaté, sed voluntate tale juramentum fecerit, ait Textus

prodigi. ita Baldus in Cap. cum in cunctis Lib. 1. Tit. 6. de electione. Bigami ex Can. 1. & 2. *dist.* 33. *placuit Episcopos, Præsbiteros, Diaconos, secundùm priora Statuta, etiam ab uxoribus abstinere, quod nisi fecerint ab Ecclesiastico removeantur Officio*; & in Codice Carthaginensi Can. 5. Comprehenduntur etiam Subdiaconi, ita etiam Trid. Sess. 23. Cap. 17. de reform. vino deditti & inebriare consueti ex Cap. *Crapula, si quis autem* loquendo de crapula & ebrietate, *super his se culpabilem exhibuerit, ni à Superiore commonitus satisfecerit ab officio vel beneficio suspendatur*, & ex omnibus Canonibus. *Dist.* 36. *si* omnes sunt ineligibiles ad electionem, ita Ascanius Tam-

burinus Tom. 1. Disp. 5. Q. 21. de jure Abbatum. Peyrinis de Prælato Q. 2. Cap. 5. §. 7. Antonius à Spiritu Sancto Tract. 5. Disp. 4. Sect. 8. regulares tamen Apostatæ & ejecti, si iterum redeant completâ pænitentiâ, non sunt inhabiles ad electiones, quia nullum extat jus talis inhabilitatis, ita Pelizarius Tract. 9. Cap. 2. N. 159. & Ant. à Spiritu Sancto N. 139.

CAPUT V.

De confirmatione Prælatorum Regularium.

APud omnes Doctores habetur certum, electiones

necessariò esse confirmandas à Superiore, quia inter electum & electores quoddam indissolubile vinculum contrahitur, quod sine superioris authoritate dissolvi non potest; ex quo infertur electum necessariò esse confirmandum à Superiore, cum sine tali confirmatione, electus non habeat plenum jus, nec per electionem exercere potest ea quæ pertinent ad jurisdictionem dignitatis, propter quam electus fuit, ex Cap. *nostri.* Cap. *transmissam de elect.* idcircó electus per electionem acquirit habitum administrationis, per confirmationem verò exercitium, seu per electionem acquirit jus ad rem, per confirmationem verò jus in re. Quod si quis non obtentâ tali

confirmatione, voluerit se immiscere in exercendis ijs quæ ad dignitatem, ad quam electus fuit pertinent, sivè per se, sivè per alium, ipso facto privetur jure, quod acquisiverat per electionem in ipsa dignitate, ex Cap. *avaritiæ de elect. in 6°.*

Confirmatio igitur est simpliciter necessaria, tum ex parte Superioris, ut patet ex jure citato, & ex Cap. finali ejusdem juris citati, tum ex parte electi ut diximus suprà; ea de causa Doctores notant, electionem esse voluntatis, confirmationem veró necessitatis, ut notat Joannes Andreas Bononiensis, in Cap. *postquam de electione*, quia electores procedentes ad electionem, ideó operantur, quia volunt, & electio num-

quam censetur legitima, nisi quatenus libera, nam sublatâ libertate electio ipso facto est nulla: Confirmator verò est agens necessarium, positâ legitimâ electione, nisi aliundè sit aliquid obstans (ut videbitur in sequentibus.) Confirmatio igitur est necessarió facienda.

Tota igitur difficultas sistit in stabiliendo, quisnam dicatur legitimus Confirmator dignitatis regularis, si recurramus ad Constitutionem Pij IV. sub anno 1564. dicendum est ad solum Papam pertinere talem confirmationem, cum declaret, *nullus de cætero se in regimine vel Administratione Monasterij vel alterius dignitatis conventualis &c. antequam à Romano Pontifice confirmata &c.* quod

videri potest in Bullario Romano novo, inter Constitutiones dicti Pontificis Tom. 2. & incipit, *Sanctissimus in Christo Pater.*

Respondeo igitur 1°. Olim Superiores regulares non erant exempti ab Episcoporum jurisdictione, pro tunc statimatque erant electi à Capitulo conventuali, erant quoque confirmandi ab Episcopo, cui erant Monasteria subjecta; sed cum ex indulto Summorum Pontificum, pronunc Religiosi à tali jurisdictione sint exempti, & Summo Pontifici immediatè subjecti; eâ de re à Papâ vel ejus Legato à latere confirmatio est desumenda, ni insuper electus habeat Superiorem immediatum sibi, ut Superior con-

firmentur ab ipso, attamen sufficit quod Superiores electi in dicto Capitulo, sint confirmati à Præsidente Capituli, & pro tunc sunt verè in exercitio dictæ superioritatis, modò ut factâ electione aliud non obstet, ut patet ex Breve Apostolico Urbani VIII. pro erectione Congregationis nostræ, sub die 12. Septembris 1629 ubi sic habetur, *statimatque electi sunt prædictam authoritatem habeánt & exercere possint.*

Ad quem igitur pertinet confirmatio, si Superior ob negligentiam approbaverit electum insufficientis scientiæ, vel inhonestæ vitæ, vel ætatis indebitæ, pro tunc privatur non tantum jure confirmandi successorem, sed etiam suspendi-

tur à perceptione fructuum proprii Beneficii, quousque indulgentiâ valeat promereri, & si ex malitia fecerit, gravius puniendus erit, ex Cap. *nihil est de electione*. ea de re confirmatio est semper facienda cum cognitione causæ, quæ fundatur in examine faciendo de vitâ, moribus, scientiâ & ætate electi, nisi talis electus sit valdè notus, & communiter tanquam dignus approbatus; tunc non opus erit illum examinare, ex Cap. *in Lateranensi de Præbendis* §. *sane* ubi Inn. III. dicit, *quos, vel conversatio notos reddit, vel commendat probabile testimonium Prælatorum*, quod habet locum potissimum apud Religiosos, ubi electi facilè dignoscuntur ab eligentibus.

Confirmator non potest confirmare indignum, quia sic faciendo in grave detrimentum Ecclesiæ vergeret, & uniret se peccato eligentium; nisi id sciat solo motivo Confessionis, quo uti nullo modo potest; quia cum confirmatio sit actus externus, consequenter secundùm allegata & probata est facienda, ita Peyrinis & potissimum Lezana Tom. 1. Cap. 15. N. 36. & omnes Doctores, qui insuper dicunt, confirmare dignum relicto digniori, etiamsi electores jurent de digniori eligendo; quia talis electio de jure communi est valida, esto electores sint perjuri, necessariò est confirmanda, attamen talis esse cassanda, quidquid dicat Ant. à Spiritu Sancto Tract. 5.
Disp. 5.

Sect. 1. N. 16. quod observatur de jure particulari in Ordine Prædicatorum, ita Sanchez Lib. 2. Conciliorum Cap. 1. Dub. 6. N. 4 & est conforme propositioni 47. damnatæ ab Innocentio XI.

Cum Superior non possit confirmare indignum relicto digniori; nec consequenter electores possunt eligere indignum relicto digniori, aliqui tamen dicunt, electores in Beneficiis secularibus teneri eligere digniores, non tamen in prælaturis regularibus in quibus dignus potest eligi, relicto digniori, nisi adsint Statuta particularia Religionis, quæ obligant juramento electores ad digniorem eligendum, & sic secluso juramento nullum

est peccatum, ita Palaus Tract. 13. de Beneficiis Disp 2. p 11. § 2 N. 14. & Joannes Valerius In differentijs utriusque Fori v. electio diffi. 1. N. 1. alij verò dicunt esse tantum veniale, si eligatur dignus relicto digniori, non tantum circa dignitates seculares, sed etiam regulares; ita Samüel Lublinus Tract. 1. Disp. 6. Controver. 5. N. 7. qui citat Filliuc, Alensem & alios.

Respondeo tamen cum D. Thoma 2. 2 Q 63. Art. 2. in C. *personarum acceptionem in spiritualibus, eò magis peccatum esse, certum est, quò spiritualia temporalibus præstant.* Peyrinis de subdito Tom. 1. Quest. 1, Cap. 13. §. 4. Lugo de justitia Tom. Disp. 35. & alijs in quâ:

cumque electione faciendâ esse semper peccatum mortale, si eligatur dignus relicto digniori, pro quo melius intelligendo.

Sciendum est, dignitatem personæ dupliciter usurpari posse. Primò, simpliciter & secundum se, & sic ille censetur esse majoris dignitatis, qui in donis spiritualibus gratiæ magis abundat. Secundò, respectivè per comparationem ad bonum commune, quo pacto potest fieri quod ille qui minùs est sciens & minùs sanctus, potest magis conferre ad bonum commune, propter potentiam, industriam & alia hujusmodi quæ respiciunt ipsam communitatem, ut fusiùs videbitur infrà, & dictum fuit suprà in Cap. 3. hoc igitur supposito.

Probatur igitur 1°. Nostra conclusio; quia talis electio est contra justitiam, ergò est mortalis. Primò contra commutativam, nam electores sunt destinati ad conservandum, & augendum bonum communitatis omnibus vijs licitis & honestis, dignior enim majùs potest causare bonum Communitati, quocunque alio minùs digno, quo tamen privaretur, si dignus præferatur digniori. Secundò, contra distributivam, quæ præcipit, ut gradus, & honores distribuantur juxtà merita personarum, maximè cum coram Deo non sit acceptio illarum, potiori jure non debet esse coram hominibus.

Probatur 2°. Ex Trid. Sess. 24. Cap. 1. & 18. ubi de *solis*

dignioribus efficitur mentio, & confirmatur propositione 47. damnatâ ab Inn. XI.

Unum tamen breviter notandum. Primò, cum D. Th. in eodem articulo ad 3 hoc habere tantum locum in foro interno, non autem externo, nam *ad hoc ut electio impugnari non possit in Foro judiciali, sufficit eligere bonum, nèc oportet eligere meliorem; quia sic omnis electio posset habere calumniam. Sed quantùm ad conscientiam eligentis, necesse est eligere meliorem, vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum commune, quia si potest haberi aliquis magis idoneus erga aliquam dignitatem, & alius præferatur, oportet quod sit propter aliquam causam.* Et sic qui operatur contra, nullo

modo dispensatur à mortali, nisi adsit levitas materiæ circa eligendos, pro tunc esset tantum veniale; nam in omnium sententia, peccatum injustitiæ circa parvitatem materiæ, est tantum veniale.

Secundò, propter necessitatem Ecclesiæ v. G. dantur duo beneficia vacantia, quorum unum est tenuius & aliud pinguius; illud datur digniori, quia necessitas Ecclesiæ illud exposcit, istud verò digno, quia ibi tanta non adest necessitas. Ita Sotus Lib. 4. de justitia Q. 6. Art. 2. Concl. 9. Argum. 2. Aragonius 2. 2. Q. 63. Art. 2. Concl. 2. Coroll. 2.

Tertiò, quando plures sunt eligendi, quorum unus est dignissimus, alter dignior, &

tertius dignus. tunc elector potest & debet relinquere dignissimum ut eligatur dignus, modò ut certò sciat, alios electores suffragaturos tantum ad dignum, & ut evitetur talis electio potest concurrere ad digniorem, nè eligatur is qui minùs dignus est, & pro tunc dignior censebitur dignissimus, ita Sotus citatus, Arragonius Corrol. 3. Peyrinis citatus limitatione 5.

Quartò, nisi dignior occupetur in alijs ministerijs Religionis; ut concionando, docendo, vel assistendo Principi, à quo multum tota Religio pendet, in quo tamen casu electores cautè & prudenter se gerere debent, nè tales sub prætextu Concionis aut Lectoratus à

Deffinitoriatu, Ministeriatu, Magisteriatu, & quinto pro Vicariatu, &c.

Sed si quis sibimet in electionibus votum dederit. Respondeo primo, apud Franciscanos de Observantia, talem privari voce activâ & passivâ in perpetuum, ita Lantusca v. votum n. 2.

Respondeo secundò, talem electionem esse nullam ex Cap. *per nostras, de jure patronatus*, ubi Inn. III. dicit, *per nostras postulasti utrum Clericus ad vacantem Ecclesiam, in qua jus obtinet patronatus seipsum valeat præsentare (si idoneus sit) Respondemus negativè, quantumcumque idoneus sit, & quibuscumque studiis & meritis adjuvetur*. Ex quo infertur quod si

omnes Capitulares exirent è Capitulo uno dempto, ille solus non posset seipsum eligere quamvis meritissimus, ita Peyrinis de subdito Q. 6 Cap. 31. §. 3. & à fortiori ex quatuor Capitularibus si omnium vota in scrutinio reperiantur in favorem unius illorum.

Duodecimo, falsificantes Litteras Apostolicas ex Felino in Cap. de Rescriptis, v. stilus Curiæ Ostiensis in Summa de crimine falsi §. qualiter v. sed hodie. In peccato mortali publico ex S. Thoma quod 8. H. 4. Art. 2. quia censentur infames, perjuri, nominatim denunciati, ex Cap. *quærelam de jure jurando*, modò ut non necessitaté, sed voluntate tale juramentum fecerit, ait Textus

prodigi. ita Baldus in Cap. cum in cunctis Lib. 1. Tit. 6. de electione. Bigami ex Can. 1. & 2. *dist.* 33. *placuit Episcopos, Præsbiteros, Diaconos, secundùm priora Statuta, etiam ab uxoribus abstinere, quod nisi fecerint ab Ecclesiastico removeantur Officio*; & in Codice Carthaginensi Can. 5. Comprehenduntur etiam Subdiaconi, ita etiam Trid. Sess. 23. Cap. 17. de reform. vino dediti & inebriare consueti ex Cap. *Crapula, si quis autem* loquendo de crapula & ebrietate, *super his se culpabilem exhibuerit, ni à Superiore commonitus satisfecerit ab officio vel beneficio suspendatur*, & ex omnibus Canonibus. *Dist.* 36. *si* omnes sunt ineligibiles ad electionem, ita Ascanius Tam-

burinus Tom. 1. Disp. 5. Q. 21. de jure Abbatum. Peyrinis de Prælato Q. 2. Cap. 5. §. 7. Antonius à Spiritu Sancto Tract. 5. Disp. 4. Sect. 8. regulares tamen Apostatæ & ejecti, si iterum redeant completâ pænitentiâ, non sunt inhabiles ad electiones, quia nullum extat jus talis inhabilitatis, ita Pelizarius Tract. 9. Cap. 2. N. 159. & Ant. à Spiritu Sancto N. 139.

CAPUT V.

De confirmatione Prælatorum Regularium.

APud omnes Doctores habetur certum, electiones

necessariò esse confirmandas à Superiore, quia inter electum & electores quoddam indissolubile vinculum contrahitur, quod sine superioris authoritate dissolvi non potest; ex quo infertur electum necessariò esse confirmandum à Superiore, cum sine tali confirmatione, electus non habeat plenum jus, nec per electionem exercere potest ea quæ pertinent ad jurisdictionem dignitatis, propter quam electus fuit, ex Cap. *nostri.* Cap. *transmissam de elect.* idcircó electus per electionem acquirit habitum administrationis, per confirmationem verò exercitium, seu per electionem acquirit jus ad rem, per confirmationem verò jus in re. Quod si quis non obtentâ tali

confirmatione, voluerit se immiscere in exercendis ijs quæ ad dignitatem, ad quam electus fuit pertinent, sivè per se, sivè per alium, ipso facto privetur jure, quod acquisiverat per electionem in ipsa dignitate, ex Cap. *avaritiæ de elect. in 6°.*

Confirmatio igitur est simpliciter necessaria, tum ex parte Superioris, ut patet ex jure citato, & ex Cap. finali ejusdem juris citati, tum ex parte electi ut diximus suprà; ea de causa Doctores notant, electionem esse voluntatis, confirmationem veró necessitatis, ut notat Joannes Andreas Bononiensis, in Cap. *postquam de electione*, quia electores procedentes ad electionem, ideó operantur, quia volunt, & electio num-

quam censetur legitima, nisi quatenus libera, nam sublatâ libertate electio ipso facto est nulla: Confirmator verò est agens necessarium, positâ legitimâ electione, nisi aliundè sit aliquid obstans (ut videbitur in sequentibus.) Confirmatio igitur est necessarió facienda.

Tota igitur difficultas sistit in stabiliendo, quisnam dicatur legitimus Confirmator dignitatis regularis, si recurramus ad Constitutionem Pij IV. sub anno 1564. dicendum est ad solum Papam pertinere talem confirmationem, cum declaret, *nullus de cætero se in regimine vel Administratione Monasterij vel alterius dignitatis conventualis &c. antequam à Romano Pontifice confirmata &c.* quod

videri poteſt in Bullario Romano novo, inter Conſtitutiones dicti Pontificis Tom. 2. & incipit, *Sanctiſſimus in Chriſto Pater.*

Reſpondeo igitur 1°. Olim Superiores regulares non erant exempti ab Epiſcoporum juriſdictione, pro tunc ſtatimatque erant electi à Capitulo conventuali, erant quoque confirmandi ab Epiſcopo, cui erant Monaſteria ſubjecta; ſed cum ex indulto Summorum Pontificum, pronunc Religioſi à tali juriſdictione ſint exempti, & Summo Pontifici immediatè ſubjecti; eâ de re à Papâ vel ejus Legato à latere confirmatio eſt deſumenda, ni inſuper electus habeat Superiorem immediatum ſibi, ut Superior con-

ventualis, qui suam confirmationem desumere debet à Provinciali, Provincialis verò à Generali, & Generalis à Papâ vel ejus Legato, ut suprà, quia Generalis est immediatè subjectus Papæ, cum in eadem Religione nullum agnoscat Superiorem: Non est tamen exindè inferendum, Papam non posse confirmare quemcumque Superiorem, sivè immediatum, sivè ipsi mediatum, quia Papa in potestate & jurisdictione, concurrit cum quocumque alio Superiore ipsi inferiori, ut patet ex Can *ad Romanam Ecclesiam*, *Causa* 2. *Q.* 6. *Can. cuncta per mundum*. *Can. per principalem*. *Causa* 2. *Q.* 3.

Respondeo 2°. Ex jure com-

muni confirmationem Generalis ad solum Papam pertinere; attamen ex speciali Sædis Apostolicæ indulto, omnes Religiones habent privilegium, ut eorum Generales statim atque sunt electi, eo ipso censeantur confirmati, ita Tamburinus Tom. 1. Disp. Disp. 6. Q. 2. N. 3. Ant. à Spiritu Sancto Part. 3. Disp. 5. N. 7. quantum veró ad Provincialem, & alios Superiores inferiores Provinciali, in aliquibus Religionibus, confirmatio est desumenda à Generali, in quo casu electus non potest uti superioritate, donèc receperit confirmationem, ut suprà; in mea tamen Congregatione, quamvis actus Capituli Provincialis sint transmittendi ad Generalem ut con-

firmentur ab ipso, attamen sufficit quod Superiores electi in dicto Capitulo, sint confirmati à Præsidente Capituli, & pro tunc sunt verè in exercitio dictæ superioritatis, modò ut factâ electione aliud non obstet, ut patet ex Breve Apostolico Urbani VIII. pro erectione Congregationis nostræ, sub die 12. Septembris 1629 ubi sic habetur, *statimatque electi sunt prædictam authoritatem habeant & exercere possint.*

Ad quem igitur pertinet confirmatio, si Superior ob negligentiam approbaverit electum insufficientis scientiæ, vel inhonestæ vitæ, vel ætatis indebitæ, pro tunc privatur non tantum jure confirmandi successorem, sed etiam suspendi-

tur à perceptione fructuum proprii Beneficii, quousque indulgentiâ valeat promereri, & si ex malitia fecerit, gravius puniendus erit, ex Cap. *nihil est de electione*. ea de re confirmatio est semper facienda cum cognitione causæ, quæ fundatur in examine faciendo de vitâ, moribus, scientiâ & ætate electi, nisi talis electus sit valdè notus, & communiter tanquam dignus approbatus; tunc non opus erit illum examinare, ex Cap. *in Lateranensi de Præbendis §. sane* ubi Inn. III. dicit, *quos, vel conversatio notos reddit, vel commendat probabile testimonium Prælatorum*, quod habet locum potissimum apud Religiosos, ubi electi facilè dignoscuntur ab eligentibus.

Confirmator non potest confirmare indignum, quia sic faciendo in grave detrimentum Ecclesiæ vergeret, & uniret se peccato eligentium; nisi id sciat solo motivo Confessionis, quo uti nullo modo potest; quia cum confirmatio sit actus externus, consequenter secundùm allegata & probata est facienda, ita Peyrinis & potissimum Lezana Tom. 1. Cap. 15. N. 36. & omnes Doctores, qui insuper dicunt, confirmare dignum relicto digniori, etiamsi electores jurent de digniori eligendo; quia talis electio de jure communi est valida, esto electores sint perjuri, necessariò est confirmanda, attamen talis esset cassanda, quidquid dicat Ant. à Spiritu Sancto Tract. 5. Disp. 5.
K

Sect. 1. N. 16. quod observatur de jure particulari in Ordine Prædicatorum, ita Sanchez Lib. 2. Conciliorum Cap. 1. Dub. 6. N. 4 & est conforme propositioni 47. damnatæ ab Innocentio XI.

Cum Superior non possit confirmare indignum relicto digniori; nec consequenter electores possunt eligere indignum relicto digniori, aliqui tamen dicunt, electores in Beneficiis secularibus teneri eligere digniores. non tamen in prælaturis regularibus in quibus dignus potest eligi, relicto digniori, nisi adsint Statuta particularia Religionis, quæ obligant juramento electores ad digniorem eligendum, & sic secluso juramento nullum

est peccatum, ita Palaus Tract. 13. de Beneficiis Disp 2. p 11. § 2 N. 14. & Joannes Valerius In differentijs utriusque Fori v. electio diffi. 1. N. 1. alij verò dicunt esse tantum veniale, si eligatur dignus relicto digniori, non tantum circa dignitates seculares, sed etiam regulares; ita Samüel Lublinus Tract. 1. Disp. 6. Controver. 5. N. 7. qui citat Filliuc, Alensem & alios.

Respondeo tamen cum D. Thoma 2. 2 Q 63. Art. 2. in C. *personarum acceptionem in spiritualibus, eò magis peccatum esse, certum est, quò spiritualia temporalibus præstant.* Peÿrinis de subd to Tom. 1. Quest. 1, Cap. 13. §. 4. Lugo de justitia Tom. Disp. 35. & alijs in quâ-

cumque electione faciendâ esse semper peccatum mortale, si eligatur dignus relicto digniori, pro quo melius intelligendo.

Sciendum est, dignitatem personæ dupliciter usurpari posse. Primò, simpliciter & secundum se, & sic ille censetur esse majoris dignitatis, qui in donis spiritualibus gratiæ magis abundat. Secundò, respectivè per comparationem ad bonum commune, quo pacto potest fieri quod ille qui minùs est sciens & minùs sanctus, potest magis conferre ad bonum commune, propter potentiam, industriam & alia hujusmodi quæ respiciunt ipsam communitatem, ut fusiùs videbitur infrà, & dictum fuit suprà in Cap. 3. hoc igitur supposito.

Probatur igitur 1°. Nostra conclusio; quia talis electio est contra justitiam, ergò est mortalis. Primò contra commutativam, nam electores sunt destinati ad conservandum, & augendum bonum communitatis omnibus vijs licitis & honestis, dignior enim majùs potest causare bonum Communitati, quocunque alio minùs digno, quo tamen privaretur, si dignus præferatur digniori. Secundò, contra distributivam, quæ præcipit, ut gradus, & honores distribuantur juxtà merita personarum, maximè cum coram Deo non sit acceptio illarum, potiori jure non debet esse coram hominibus.

Probatur 2°. Ex Trid. Sess. 24. Cap. 1. & 18. ubi de *solis*

dignioribus efficitur mentio, & confirmatur propositione 47. damnatâ ab Inn. XI.

Unum tamen breviter notandum. Primò, cum D. Th. in eodem articulo ad 3. hoc habere tantum locum in foro interno, non autem externo, nam *ad hoc ut electio impugnari non possit in Foro judiciali, sufficit eligere bonum, nèc oportet eligere meliorem; quia sic omnis electio posset habere calumniam. Sed quantùm ad conscientiam eligentis, necesse est eligere meliorem, vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum commune, quia si potest haberi aliquis magis idoneus erga aliquam dignitatem, & alius præferatur, oportet quod sit propter aliquam causam.* Et sic qui operatur contra, nullo

modo dispensatur à mortali, nisi adsit levitas materiæ circa eligendos, protunc esset tantum veniale; nam in omnium sententia, peccatum injustitiæ circa parvitatem materiæ, est tantum veniale.

Secundò, propter necessitatem Ecclesiæ v. G. dantur duo beneficia vacantia, quorum unum est tenuius & aliud pinguius; illud datur digniori, quia necessitas Ecclesiæ illud exposcit, istud verò digno, quia ibi tanta non adest necessitas. Ita Sotus Lib. 4. de justitia Q. 6. Art. 2. Concl. 9. Argum. 2. Aragonius 2. 2. Q. 63. Art. 2. Concl. 2. Coroll. 2.

Tertiò, quando plures sunt eligendi, quorum unus est dignissimus, alter dignior, &

tertius dignus. tunc elector potest & debet relinquere dignissimum ut eligatur dignus, modò ut certò sciat, alios electores suffragaturos tantum ad dignum, & ut evitetur talis electio potest concurrere ad digniorem, nè eligatur is qui minùs dignus est, & pro tunc dignior censebitur dignissimus, ita Sotus citatus, Arragonius Corrol. 3. Peyrinis citatus limitatione 5.

Quartò, nisi dignior occupetur in alijs ministerijs Religionis; ut concionando, docendo, vel assistendo Principi, à quo multum tota Religio pendet, in quo tamen casu electores cautè & prudenter se gerere debent, nè tales sub prætextu Concionis aut Lectoratus à

Prælaturis excludantur ita ut subditi, laborem concionandi vel docendi fugiant, nè inutiles reddantur ad Prælaturas; eâ de causâ, tales potius sunt eligendi ad dignitates, ut sic detur alijs stimulus in vinea Domini operandi, maximè cum majorem doctrinam habeant, & majorem quoque habere debent modum gubernandi alios, ita Lugo de justitia Disp. 35. Tom. 2. N. 57.

Electio igitur facta de digno, relicto digniori, est semper valida, quamvis in foro conscientiæ sit illicita; difficultas igitur est, quisnam censeatur dignior inter plures concurrentes, ad hoc ut electores possint in conscientia eligere. Respondeo, illum judicari dignio-

rem, qui habitâ ratione ad regimen & gubernium Prælaturæ ad quam sumitur, utilior & magis idoneus erit, quamvis comparativè ad alium sit minùs sanctus & minùs doctus, ita D. Thomas citatus, Lessius de jure & justitia Lib. 2. Cap. 34. dub. 12. N. 1. de Beneficijs, ubi dicit dignissimum dici, non qui doctissimus aut sanctissimus, sed qui omnibus consideratis, putatur suo officio optimè functurus & satisfacturus, ac Ecclesiæ futurus utilissimus.

Exindè infertur quem non dici digniorem, quia Ecclesiam, vel Prælaturam, vel munus de quo agitur, alias rexit, vel gubernavit, sed tantùm censeri sufficientem, ita Rota decisione 11. N. 7. coram Gregorio XV.

nec etiam qui antiquior in habitu Religionis, vel ætate ex eadem Rotâ Decisione 38. Lib. 2. Part. 3. nec etiam ratione nobilitatis, Cap. *venerabilis de præbendis* (nisi fundatio Beneficij vel Prælaturæ importet secum qualitatem nobilitatis.) limitari tamen potest propositio, nisi electio nobilis profutura sit Ecclesiæ aut Religioni, pro tunc præferri potest nobilis ignobili absque acceptione personarum, ita communiter Doctores.

An saltem aliquando licitum sit præferre dignum digniori & dignissimo. Respondeo affirmativè potissimum in quinque casibus.

Primò, si præsentatio sit de jure patronatus, ex Can.

decernimus, Can. Monasterium causæ 16. Q. 7. nisi præsentatio efficiatur à Patrono Ecclesiastico, quia pro tunc habet vim electionis, aut Beneficium sit cum curâ animarum, ex Tridentino Sess. 24. Cap. 18. quod si Patronus sit laicus & præsentet dignum, talis est instituendus ex eodem Tridentino, omissis alijs quibuscunque dignioribus.

Secundò, si præsentatio facienda ratione fundationis sit ex certa familia, vel Oppido, vel de corpore Ecclesiæ in quo habetur Beneficium, ex Can. obitum Dist. 61. ubi Gregorius Barbaro Episcopo Lib. 11. Epist. 16 sic loquitur; *commonemus etiam fraternitatem tuam, ut nullum de alterâ eligi permittas*

Ecclesiâ, *nisi fortè inter Clericos ipsius Civitatis*, *in quâ visitationis impendis officium*, *nullus ad Episcopatum dignus* (*quod evenire non credimus*) *potuerit inveniri*, & ex Can 63. *ex Præsbiteris ejusdem Ecclesiæ vel Diaconis optimus ordinetur*; ex quibus Canonibus infertur Ministros Ecclesiæ olim esse eligendos de corpore Ecclesiæ, modò ut idonei essent; quod habet potissimum locum in electione Summi Pontificis, qui non potest eligi nisi de corpore Cardinalium, modò ut inter ipsos idoneus aliquis inveniatur, ex Canone *oportebat Dist*. 79. *oportebat ut hæc Sacro-sancta Domina nostra Romana Ecclesia*, *juxta quod à Beato Petro & ejus Successori-*

bus institutum, ritè ordinaretur & in Apostolatus culmen, unus de Cardinalibus Præsbiteris aut Diaconis consecraretur. Idem confirmatur ex Bulla Gregorij XV. de modo observando in electione Summi Pontificis, quod à Cardinalibus pro nunc religiosissimè observatur.

Tertiò, si dignior conservetur ut conferatur illi Beneficium majoris ponderis, & utilitatis propter bonum commune.

Quartò, si Rector Beneficij resignet illud in favorem alterius, modò ut sit dignus, non est necessé, ait Cajetanus v. Beneficium, ut quærat dignissimum, quia in tali casu confert id quod suum est, propter quod tenebatur facere id quod idoneus debebat facere

mediocriter, sed dignus id facere potest, ergò Rector in resignando non tenetur quærere dignissimum.

Quintò, Elector potest omittere dignissimum, si prævideat suffragium illius nihil profuturum, maximè cum tendat ad excludendum indignum in favorem Ecclesiæ: videantur ea quæ suprà sunt dicta. Ita Lessius Lib. 2. Cap. 34. de Beneficijs dub. 13. hæc penultima conditio nunquam habet locum in electionibus regularium ad tempus, quarum nulla potest dari resignatio.

Indignus igitur nullo modo potest eligi ad Prælaturas, nec etiam ad aliud quodcumque Beneficium. Dicitur enim talis, qui non habet requisita in jure

Canonico, ut morum honestatem, scientiam competentem ad tale ministerium, prudentiam requisitam, & industriam, pro ut tale Beneficium & Prælatura peroptant, cum Beneficium detur propter officium; ergò frustrà accipit illud qui debitè præstare non potest officium. Ita communiter Doctores, qui consequenter concludunt, valetudinarium teneri in conscientia renuntiare, nec aliter absolvi potest, cum ratione infirmitatis sit inhabilis ad munus Beneficij & Prælaturæ exercendum. Hoc unum notandum, suprà dicta esse tantum intelligenda de Prælatura quæ ex se curam animarum habet.

Superior igitur nunquam po-

test confirmare indignum, seu electionem ipso jure nullam, quia confirmatio est corroboratio juris acquisiti per electionem, & quasi accessorium ad illam; ergò cum electio sit nulla (quod potest provenire, vel ex parte eligentis, vel electi) & quoque confirmatio ita omnes Doctores. Et quamvis confirmatio sit nulla ob deffectum confirmantis, electio tamen est semper valida, modò ut requisita habeantur, juxtà regulas juris Canonici, quia accessorium nunquam destruit naturam principalis, imò potius sequitur positis ponendis, ex Cap. *si confirmationem de elect. in 6°. si confirmationem electionis, propter debitam juris solemnitatem in confirmatione ipsâ omissam,*

vel ex eo quia ipse qui confirmavit, confirmandi non habet potestatem, cassari, seu cassam & irritam, nuntiari contingat, non propter hoc præcedens electio (si aliàs sit canonica) intelligitur infirmari.

Quantum verò ad oppositionem, appellationem & alia hujusmodi, quæ electiones ut plurimum perturbare solent, cum mea non sit mens ediscere modum litigandi, imò potius inter fratres eligentes, pacem astruendi, ideò remitto illum qui talibus escis pascitur, ad *nostrum Patrem Franciscum à Sancto Juliano, in suo Tribunali Regularium, ad Ascanium Tamburinum de jure Abbatum, Peyrinis*, & alios hujusmodi generis, à quibus discet plusquàm

esset sciendum; cum tales & similes oppositiones & appellationes conturbent mentem, pervertant sensum, & quod pejus est divertant à Deo: Unum tamen velim sciatur, quod quamvis possit opponi, nè electio fiat nisi canonicè, nunquam tamen, nè electio fiat simpliciter, quia pro tunc & oppositio & appellatio sunt nullæ, *ex Cap. nullus de electione*, & cæteri electores non tantum possunt, sed & debent procedere ad electionem, ita communiter Doctores.

Unum igitur est scitu necessarium à Pragmatico Architecto captionum, maximè quando oppositio conjungitur cum appellatione ad Superiorem, quod cæteri electores

validè procedunt ad electionem, & persona electa est in exercitio sui officij, donec à Superiore legitimo aliter decidatur, quod est seriò præcavendum ab illis qui lites inconsulto æquo amplius accelerant.

Electores igitur quamprimum commodè possunt electionem factam, præsentare debent electo, qui intra mensem consensum exhibere debet, alioquin privatur jure acquisito, & dato consensu, intra trimestre confirmationem petat, aliàs electio erit nulla, *ex Cap. quam sit de electione in* 6°. & in electionibus Laicorum, præsentatio est facienda in forma authentica per Scribam de mandato electorum, quod tamen apud Regulares ita rigorosè non obs

ſervatur, cum ſola præſentatio electionis facta Superiori ſufficiat quoquo modo efficiatur.

Confirmator tamen nullum habet determinatum tempus, quo teneatur ad confirmationẽ dandam, attamen ſi renuat ad illam concedendam, electus recurrere poteſt ad Superiorem, qui præfiget terminum, quo elapſo, confirmatio devolvitur ad ipſum, ut infertur *ex Cap. nullus Laicus de jure patronatus.*

Nunquam tamen poteſt Superior confirmare electionem invito electo, quia cum inter eligentes qui repræſentant Eccleſiam & electum, efficiatur matrimonium ſpirituale, ideò requiritur conſenſus, non tantum eligentium, ſed etiam electi, ut potè futuri ſponſi,

ex Cap. *cum inter Canonicos de electione*, & *Cap. licet in tantum de translatione Episcoporum.*

Unum tamen est breviter notandum, quod cum Regulares dependeant à voluntate Superioris, cui per professionem solemnem se subjecerunt, & sic nec velle nec nolle habeant, Superior consequenter obligare potest electum ad confirmationem acceptandam, dummodò non assignet causam rationabilem; quod est apprimè observandum à Superiore confirmante. Ita Castelinus Tract. de electione Cap. 14. de confirmatore N. 22. Tamburinus Tom. 1. Disp. 6. Q. 2. N. 6. in fine..

Sed posito quod electus renuntiaverit electioni (positis

justis & legitimis fundamentis, & acceptatis) ad quem electio subsequens facienda pertinebit. Respondeo talem electionem de jure communi pertinere ad eosdem à quibus facta fuit prima electio, quia per renuntiationem electores non amittunt jus à jure Canonico ipsis concessum, & jure naturali acquisitum. Ut colligitur *ex Cap. si electio, de electione in 6°.* ideò si electio efficiatur in Capitulo Generali vel Provinciali, ad id totum jus divolvitur Sigismundus tamen notat de electione, dub. 12. N. 5. nisi Capitulum sit jam dissolutum; undè si quis electus in Capitulo generali, & postea dissoluto, renuntiaverit, quamvis acceptetur à Generali, electio tamen nova fa-

cienda est à Generali cum suisDeffinitoribus Generalibus; idem dicendum proportione servatâ de electionibus, in Capitulo Provinciali, editis sicut & de electionibus in Capitulis Conventualibus faciendis; quod tamen totum est regulandum juxta quarumcumque Religionum Statuta particularia. Legatur Peyrinis in additam ad Constit. Clem. VIII. Cap. 9. N. 10.

Quantum verò ad confirmationem circà formam observandam à Superiore, ad hoc ut validè & licitè efficiatur; in jure nihil habetur determinatum, & sic Doctores dicunt prolationem verborum non esse simpliciter necessariam, sed sufficere quod Superior ex-

primat suam voluntatem aliquo actu sensibili procedente ab ipso, quo voluntas illius manifestatur. Ita Tamburinus citatus q. 3. N. 12. & omnes Doctores.

Cum confirmatio pertineat ad Prælatum superiorem, si ignoret ea quæ scire tenetur secundùm suum Statum, peccatnè mortaliter, pro quo intelligendo.

Notandum 1°. Ignorantiam invincibilem tam juris quàm facti excusare à peccato, ita D. Thomas 1. 2. q. 76. Art. 3. ex quo hæc deducitur ratio; nullum est peccatum nisi sit voluntarium, cum voluntarium supponat cognitionem actus malitiosi, qui non videtur ob talem ignorantiam. Ignorantia

igitur invincibilis est illa quæ privat hominem cognitione & scientiâ bonitatis, aut malitiæ actus, & quatenus haberi non potest, & dicitur ignorantia juris, quando ignoratur Lex obligans ad culpam, dicitur verò facti, quando ignoratur id quod à Lege prohibetur, & hoc habet locum, non tantum circa ea quæ sunt de jure humano, sed etiam de jure Divino & naturali; quantum igitur ad jus Divinum dantur multi fideles, inter quos notitia quorumdam misteriorum fidei nunquam pervenit ad illos, imò moraliter videtur illis impossibilis, quis unquam auderet illis imputare ad peccatum talem ignorantiam, cùm voluntarium sit de ratione formali

peccati.

Quantum ad naturale, Doctores fatentur idem esse concludendum, exceptis tamen quibusdam præceptis naturalibus, de quibus nulla potest dari ignorantia invincibilis, cum adeo clara & aperta sint, ut omnem prorsus ignorantiam excludant, qualia sunt; *Alteri nè feceris quod tibi fieri non vis, vnus Deus est colendus, Parentes sunt honorandi, Malum fugiendum, Bonum prosequendum*; & alia similia quæ solo lumine naturali elucescunt.

Notandum 2°. Ignorantiam juris & facti dici invincibilem, quando nulla cognitio, nec specialis, nec confusa, nec dubitatio expressa, imò nec scrupulus occurrit; quo pacto in-

tellectus alienari potest ab omni consensu, etiam interpretativo; alioquin difficiliter daretur actus humanus, cui non imputaretur actus peccaminosus, cum omnia possent sic resolvi. Scire debebat, & in suo statu animadvertere tenebatur; alienum enim est à suavitate Legis Divinæ, quod velit condemnare ad pœnas æternas hominem propter aliquem actum, circà quem se habuit operans quasi naturaliter, quamvis de malitiâ illius nec dubium nec scrupulum habuerit. Ita Salas 1. 2. Tract. 13. Disp. 8. Sect. ultimâ. Layman Lib. 1. Tract. 2. Cap. 4. N. 6. Bassæus v. ignorantia N. 10. his suppositis.

Concludo primò. Prælatum defficientem in aliquibus ad

proprium statum pertinentibus, à peccato mortali excusari, quod sic probatur; quicumque scire tenetur ea præcepta quæ scire tenetur, sed certum est de aliquibus dari posse ignorantiam invincibilem, ut diximus suprà in notatu 1°. ergò &c. insuper non possunt homines scire omnes leges & omnia præcepta, imó nec tenentur, alioquin status Confessarij esset plusquam ærumnosus, quia impossibile est quod attingat ea omnia quæ de ratione sui officij sunt attingibilia. Idem dicitur de Judice circà Leges Canonicas & Civiles; ergò à fortiori non tenetur scire illa quæ non cadunt sub cognitionem, nec per dubium, nec per scrupulum; sed Prælatus errans circà

quædam ad proprium ſtatum pertinentia, per ignorantiam invincibilem, de quibus nullam habuit cognitionem nec dubitationem, non peccabit, ergò eſt excuſandus à peccato mortali; & ideò ut dicatur in ignorantia invincibili circà proprium officium, & excuſetur à peccato, ſufficit quod adhibuerit diligentiam ad inquirendam veritatem.

Quænam autem diligentia ſit adhibenda ad talem veritatem aſſequendam, totum relinquitur judicio prudentis, cum certa norma & regula non poſſit aſſignari, habito ſemper reſpectu ad officium & circunſtantias temporis, loci & qualitatis perſonæ; ita ut tanta diligentia adhibeatur ſtudendo

vel consulendo peritos, quæ viro prudenti videatur sufficiens. Ita Bonacina Disp. 2. q 8. Punct. 3. N. 8. 9. 10. 11. & alijs, de peccatis, Vasquez & Sanchez.

Concludo secundò, Prælatum non esse pœnâ mulctandum propter ignorantiam invincibilem. Probatur 1°. *Ex regula 23. juris in 6°. sine culpa, nisi subsit causa non est aliquis puniendus.* 2°. Ratione, in tantum pœna datur in quantum adest culpa, aliàs sine causa daretur medicina, sed deest culpa ut supponitur ob ignorantiam invincibilem, ergò & quoque debet deesse pœna. *Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus, Math. 9. & Luca 5. non egent qui sani*

sunt medico.

Sed difficultas est in cognoscendo modo talis ignorantiæ, ad hoc ut talis Superior non infligatur aliquâ penâ. Hoc facilè dignoscetur ex conjecturis, *juxtà textum cum in tua, Tit. qui matrimonium accusare possunt*, quæ fundantur in absentia, infirmitate, & tenerâ ætate, tempore publicationis legis; talis tamen probatio per conjecturas non est plena & sufficiens, ideò totum relinquitur judicio prudentis Judicis. Verificari etiam potest per juramentum ignorantis, maximè circà ignorantiam facti; nam circà ignorantiam juris juramentum non sufficit, cum præsumptio videatur stare pro lege, vel ob publicam famam,

vel ex facti notorietate, vel ex longi temporis præscriptione. Ita Decius *in Cap. cognoscentes N.* 18. Felinus Cap. 2. N. 17. Covarruvias Reg. possessor Part. 3. §. 3. N. 4. v. 18 & alij.

Concludo 3°. Prælatum etiam excusari à peccato mortali in multis, ob ignorantiam vincibilem circà præcepta humana & leges, modò ut non sit affectata, ita Sanchez Summæ Lib. 1. Cap. 17. N. 18. & 20. Bonacina de peccatis citatus N. 31. Bassæus citatus N. 11. qui dicunt ignorantiam crassam & supinam dici, quando quis nullam vel modicam diligentiam adhibuit ad sciendum quod scire tenetur, morali & humano modo, nullâ præcedente cognitione legis, vel illius

obligationis: Ignorantia verò dicitur affectata, quando quis vult ignorare legem ut facilius peccet. Hoc posito probatur nostra propositio; Leges humanæ non sunt adeo rigorosæ, ut tantam & adeo strictam obligationem velint inducere, quantam Leges Divinæ & naturales; sed istæ excusant à peccato ob ignorantiam etiam vincibilem, cum nulla supponatur cognitio, ergò &c. insuper nullum datur peccatum nisi volitum, quod supponit plenam advertentiam de objecto malo volito, sed in Prælato cum tali ignorantia vincibili, nulla reperitur advertentia, alioquin non diceretur ignorans, ergò non est reus peccati mortalis sic operando,

& ideò talis ignorantia vincibilis non est peccatum formaliter; nam vel esset peccatum commissionis, quod non potest dici cum nullus ponatur actus, vel omissionis quod consistit in privatione actus debiti; ignorantia verò non consistit formaliter in hoc, sed tantum in privatione scientiæ per modum habitus, & sic si sit aliquod peccatum, erit tantum negligentiæ à quâ commensurabitur.

Dices in jure videtur esse idem, scire, ac debere scire, ergò Prælatus tenetur scire. Respondeo, id verum esse in foro externo, quia præsumitur veram fuisse cognitionem, non autem in foro interno. Insuper jura sunt intelligenda de igno-

rantiâ affectatâ quæ vult ignorare, nè teneatur adimplere; & sic idem censetur esse debere scire ac scire, non verò crassâ & supinâ, de quâ nunc tantum est quæstio.

Dixi primò in aliquibus, nam quædam sunt adeò necessaria ad statum Prælati, ut de illis non possit dari ignorantia vincibilis crassa & supina, v. g. in die festivo est interessendum Missæ, & tempore Quadragesimæ est abstinendum à prohibitis, juxtà morem cujuscumque Patriæ &c. & sic circà talia hæc ignorantia non erit crassa, sed affectata, quæ à peccato nunquam excusare potest.

Dixi secundò etiam à lethali culpâ, crederem tamen nunquam à veniali, alioquin non

esset vincibilis, ut supponitur, sed invincibilis, & in hoc videtur differentia quæ habetur inter ignorantiam invincibilem, quæ semper tollit totum peccatum, vincibilem verò solum tantum non tamen totum.

Unum tamen est notatu dignum à lectore, quod quamvis supradicta in isto Tractatu de Electione, videantur esse exarata pro electionibus celebrandis apud Regulares, attamen proportione servatâ sunt quoque intelligenda pro electionibus Canonicis, quæ sæpè sæpius circà Beneficia Laicalia fieri solent, maximè cum jus Canonicum potius elaboratum fuerit ob Beneficia Laicalia, quàm Regularia, in quibus major haberi potest abusus, ob

illorum pinguedinem, & quamdam suprà illorum coequalem preeminentiam; ideò magis indigent regulâ & normâ Canonum, quàm Regulares, quorum status in humilitate & paupertate est restringendus.

CAPUT VI.

De nominatione Regis Galliæ circà Beneficia in suo Regno.

PRo intelligentia quæsiti, sciendum est nominationem trifariam usurpari posse. Primó, quandò fit nominatio de aliquo eligendo, ut quandò Electores antequàm procedant ad scrutinium, nominant aliquem dignum & idoneum ad superiori-

tatem, quâ nominatione nullum acquiritur jus. Secundó, quandò Electores scribunt in Schedula nomen eligendi ponendum in Scrutinio, per quam nominatus nullum etiam acquirit jus. Tertiò, strictè quandò duo vel tres nominantur, & offeruntur alicui, ut unus ex nominatis quem maluerit, eligatur; qualis nominatio in jure Canonico nunc non est in usu, sed tantum illa quæ efficitur à Patronibus ratione jurispatronatus, & à Principibus in illorum Territorij Dominio, ob privilegium speciale à Sanctâ Sede Apostolicâ ipsis concessum, quale habetur in Rege Galliæ, ob pacta transacta inter Leonem X. Summum Pontificem, & Franciscum I. quod

quidem Concordatum à Concilio Lateranensi sub eodem Leone X. fuit approbatum. De quâ nominatione nunc paucis est aliquid dicendum, pro quo.

Sciendum est Reges Galliæ habere jus nominandi circà Beneficia. Primò, ex jure Regaliæ. Secundò, ex jucundo adventu in Regno, quo pacto habet jus conferendi primam Præbendam in quocumque Episcopatu à die Consecrationis, qui dicitur jucundus adventus in Regno. Tertiò, quandò Regalia clauditur pro primo Beneficio vacante, quod evenit statim atque Episcopus nominatus & consecratus, juramentum fidelitatis coram Rege & Ministris illius, præbuit.

Observandum tamen est Re-

gem habere tantum jus nominandi tempore Regaliæ ad beneficia & Prælaturas perpetuas, non autem ad illa quæ ad tempus conferuntur.

Nomine autem Regaliæ, intelligitur quoddam jus statui ità annexum ut possit primò eligere Oeconomos, qui authoritate Regiâ percipiunt fructus Beneficiorum omnium consistorialium, tam Episcopalium quàm Abbatiorum vacantium. Secundò, durante vacantiâ pleno jure Rex disponere potest de Dignitatibus, Præbendis & alijs quibuscunque Beneficijs, sivè præsentatio pertineat ad Ecclesiasticum, sivè ad Laicum (demptis Beneficijs cum curâ) ideòque sivè Beneficium vacet per mortem, sivè

per permutationem, Rex nominat pleno jure, modò ut provisio talium Beneficiorum sit facienda ab Episcopo; quia pro tunc cum Regalia sit aperta Rex nominat, & Vicarius Capitularis dat provisionem: Exceptis tamen Beneficijs quæ conferenda sunt ab Episcopis conjunctim cum Capitulo; sicut & quando Canonici eligunt & eligendo conferunt, nec alia expectatur confirmatio, ut declaratum fuit per Arrestum seu Decretum 1597. referente Chopino de Sacrâ Politiâ Lib. 1. Tit. 7.

Attamen ad instantiam Ludovici XIV. Clemens IX. per Bullam anni 1667 sexto decimo Calendas Aprilis, indulsit Regi, ut jure Regaliæ possit

quæcumque Beneficia quomodocumque vacantia conferre (Sede tamen Episcopali vacante) exceptis tamen Beneficijs cum curâ, ut factitatum fuit tempore Inn. XI. Alexandri VIII. & Inn. XII. à quo fuerunt bullati quadraginta & octo Episcopi, ob discordiam obortam inter Sedem Apostolicam & Episcopos Gallicanos.

Quamvis in Regno Galliæ ad obtinendum Canonicatum Cathedralis Ecclesiæ, annus decimus quartus requiratur; & Collegiatæ, annus decimus (nisi ratione Fundationis contrarium evincatur) attamen puer septem annorum completorum quemcumque Canonicatum ratione Regaliæ recipere

poteſt ; talis eſt Gallicana praxis. Ita Lovetus v. ætas, Rebuffus in praxi Tit. de diſpenſatione ratione ætatis.

Ob vacantiam Sedis Epiſcopalis, Regi ſex menſes conceduntur pro nominatione Beneficiorum, & ſi nominatus repellatur à Papâ tanquam indignus, adhuc & tres menſes conceduntur Regi ad idoneum nominandum ; quod ſi Rex fuerit negligens, pro tunc Papa eſt liber ad conferendum cui libuerit, quod infertur ex Concordato. Ideò Papa non eſt liber collator circà talia Beneficia conceſſa à Rege per Breve ; ſed eſt neceſſarius, modò ut ſit capax & idoneus ut ſuprà: Nè igitur Beneficia per Regaliam obtenta diutiùs va-

Recent, qui nominati sunt à Rege, tenentur obtinere provisionem à Sede Apostolicâ intrà novem menses, à momento notificationis dictæ nominationis, aut saltem probare illorum diligentiam, alioquin illorum nominatio erit nulla & irrita, juxtà Edictum datum ab Henrico III. in Comitijs Blesensibus sub anno 1580.

Unum tamen velim sciatur, quod ad claudendam Regaliam quinque requiruntur conditiones, quarum etiam unicâ deffficienie, Regalia est semper aperta. Primò, novus Prælatus debet esse canonicè promotus per Bullam à Summo Pontifice concessam. Secundò, fidelitas est personaliter exhibenda Regi. Tertiò actus ju-

ramenti certificatorius debet esse registratus in Camera Parisiensi Computorum. Quartò, Mandatum de juramento personali facto Regi, ex parte ejusdem Cameræ est significandum Oeconomo Regio. Et quintò, Litteræ Regiæ declaratoriæ de clausura Regaliæ, ex suprema Cancellaria sunt desumendæ; quæ quidem quinta conditio stabilita est sub anno 1673. à Ludovico Magno nunc regnante, quem Deus ad multos annos feliciter conservet.

Unum breviter notandum circà Beneficia consistorialia, quod antequàm publicentur coram Cardinalibus in Consistorio, processus verbalis est antecedenter publicandus de vitâ, moribus, scientiâ & ætate,

quod totum deducitur ex testibus omni exceptione dignis & idoneis; quænam autem forma est observanda in tali processu, & à quibus, nihil ad nos.

Doctores insuper dicunt Regem habere jus conferendi Beneficia à suis Prædecessoribus regibus fundata, quod privilegium est commune cum omnibus alijs Fundatoribus; qualia autem sunt ista, legatur Chopin lib. 1. de Sacra politia Tit. 1. N. 18 & Charloteau *Abregé des Matieres Beneficiaires Chap.* 6. qui plura velit scire de Regalia præter suprà dictos, legat Charondas, Rebuffam, Pusæum, Palaum, qui ex professo tractant de Regalia.

Provinciæ Aquitaniæ, Occitaniæ, Delphinatus, & Pro-

vinciæ Salium erant immunes à tali jure Regaliæ, attamen Senatus Parisiensis (cui soli competit cognitio juris Regaliæ) per suum Edictum seu, *Arrest*, in causa Decanatus Ecclesiæ Bellici, Sebugianorum Provinciæ, sub die 24. Aprilis 1608. Declaravit tale Jus Regaliæ ad omnes Regni Galliæ Provincias se extendere, & expressè inhibitum & prohibitum fuit Advocatis, nè aliquid in contrarium dicerent. Clerus tamen Gallicanus humillimè supplicavit Henricum IV. pro tunc regnantem, ut considerare non pigeat, quanti tale Edictum sit momenti, cum illæ quatuor Provinciæ suprà enumeratæ à jure Regaliæ fuerint semper immunes; re ma-

curè ponderatâ à Rege, Declaravit totum suspendendum esse, & sibi soli & magno Concilio cognitionem causæ reservavit. Auditis igitur rationibus harum quatuor Provinciarum, Ludovicus XIV. per suum Edictum sub die 10. Febr. 1673. pronuntiavit harum quatuor Provinciarum Beneficia juri Regaliæ subjici, sicuti cætera Beneficia Regni, cum de præsenti sint sub Dominio Regio.

CAPUT VII.

De Statu Religioso.

STatus Religiosus ex Divo Thom. 2. 2. Q. 186. Art. 1.

est Fidelium ad christianæ charitatis perfectionem tendentium, editis votis perpetuæ Castitatis, Paupertatis & Obedientiæ, modus stabilis in communi vivendi ab Ecclesiâ approbatus.

Solemnitas in votis non est de essentia illorum, quia Patres Societatis Jesu sunt veri Religiosii, quamvis emittant vota simplicia. *Ita à Greg. XIII. deffinitum fuit, ut patet ex illius Bulla, ascendente Domino sub anno* 1584. vota tamen in seipsis considerata sunt de essentia Religionis & Religiosi, nam per illa tria Religiosus cupiditates hujus vitæ rejicit, Deoque per charitatem inhæret; & hoc fundatur in verbis *D. Joannis Epist. 1. Cap. 2. quoniam omne*

quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. 1. per Castitatem, 2. per Paupertatem & 3. per Obedientiam refrænantur.

Ideò illi tantum dicuntur Religiosi qui habent illa tria vota, ut à Sanctâ Sede Apostolicâ approbata; è contra verò, etsi eadem tria vota emittant sivè communiter, sive seorsim habitent, facta coram Confessario etiam Episcopo, non possunt haberi ut tales, nam *Inn. III. in Concilio Lat. Cap. nè nimia de Religiosis Domibus, dicit. Nè nimia Religiosorum diversitas gravem in Ecclesia dei confusionem inducat, firmiter prohibemus nè quis de cætero novam Religionem inveniat; sed quicumque ad*

Religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat; quodque in Conc. Lug. confirmatum fuit, sub Greg. X. ut patet in Capite Religionum diversitatem Tit. de Religiosis Domibus in 6°.

Papa tamen quamvis in votis solemnibus Religionis dispensare possit, ut dicitur cum de voto, non potest tamen ut manens Religiosus, voto Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ obligatus non sit, quia hæc ad essentiam Religionis pertinent.

Religiosus igitur factus Cardinalis, vel Episcopus, obstrictus manet votis essentialibus suæ Religionis, quamvis quoad aliquos effectus Paupertatis & Obedientiæ sit exemptus; nam quamvis sit Cardinalis vel Epis-

copus, non desinit esse Religiosus. Ita S. Thom. 2. 2 Q. 88. Art. 11. eâ de re, etsi jugo regulæ quoad culpam & pœnam absolutus sit, ea tamen observare debet quæ cum decent ex obligatione moralis honestatis. Ad hanc igitur moralis honestatis obligationem spectat ut habitum sui Ordinis defferat; nam referente Sanchez Lib. 6. Moral. Cap. 6. Clem. VIII. concessit Episcopis regularibus, ut retento habitu suæ Religionis possint se conformare Episcopis secularibus in illorum figura.

Quod si Episcopus renuntiet Episcopatui, vel ab illo dimoveatur, non est obligatus, ut ad Monasterium & regularem observantiam revertatur, nisi Papa cogat illum ad id, quia

retinet adhuc causam partialem ob quam ab obedientia regulari exemptus fuerat, scilicet Dignitatem Episcopalem; quod si fuerit degradatus, cum privilegijs Episcopalibus omnimodè spolietur, pro tunc ad Monasterium sub obedientiâ Prælati regularis se reducere tenebitur. Ita Delugo Resp. moral. Lib. 5. Disp. 12. Busembau Lib. 4. Cap. 1. Dub. 1. Num. 5. & Layman Lib. 4. Tract. 4. Cap. 1. N. 9.

Exindè quæritur 1°. Quænam requiruntur conditiones ad validitatem professionis regularis. Respondent Doctores, tres potissimum requiri. Prima est qualitas seu aptitudo voventis, id est annus decimus sextus expletus, & annus integer con-

tinuatus cum habitu Religioso in probatione. *Ex Tridentino Sess. 25. Cap. 15. de regularibus.* Secunda, consensus & acceptatio expressa, vel tacita Prælati Ordinis. Tertia, Professio est spontè facienda; nam cogente necessitate gravis metus in quocumque foro semper irritat factum, cum totaliter tollatur liberum. Idem dicitur de metu reverentiali, ut apud Canonistas videtur cum de metu.

Qui igitur Professionem irritam fecit ob defectum alicujus conditionis ex suprà dictis, in judicio ad vitandum scandalum probare debet intrà quinquennium à die Professionis, & post illud non est audiendus, ait Trid. citatum Cap. 19. quia præsumitur ipsum rectificasse

Professionem. *Quod si, ait* idem Trid. *ante habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandam quamcunque causam admittatur; sed ad Monasterium redire cogatur, & tanquam Apostata puniatur; interim verò nullo privilegio suæ Religionis* juve*tur.*

Quod si tamen metus gravis vel impedimentum sit essentiale aut perpetuum, aut saltem ultrà quinquennium duret, eo elapso reclamare potest, & in judicio est admittendus, ut in integrum restituatur. Ita Sotus Q. 4. Art 2. Concl. 2. Corduba Lib 1. Q. 37. & Layman citatus Cap. 5 N. 7.

Quæritur 2°. Ad quid tenetur Religiosus vi suæ Professionis. Respondeo, teneri ad

progrediendum aliquo modo in via perfectionis; nam ut ait D. Thom. 2. 2. Q. 186. Art. 1. Religio est quædam virtus, per quam quis ad Dei servitium & cultum aliquid exhibet; ideò illi dicuntur Religiosi, qui se totaliter mancipant Divino servitio, quasi Holocaustum Deo offerentes, nihil sibimetipsis reservantes, sed totum omnipotenti Deo exhibentes; scilicet sensum, linguam, vitam, atque substantiam quam perceperunt, Deoque immolant; & in hoc sistit status perfectionis Religiosi. Undè non est inferendum quod omnis qui est in Religione jam sit perfectus, sed tantum quod ad perfectionem, unionemque cum Deo, tanquam ad propositum sibi

finem ex ſtatus obligatione tendat. Nam inter Religioſos quidam ſunt incipientes, quidam verò proficientes, quo pacto non omnes ſunt perfecti, ſed ſaltem tendunt ad illam.

Religioſus igitur non tenetur ſimpliciter eſſe perfectus, ſed tantum meliori modo quo poterit ſe ad perfectionem excitare debet. Quod poteſt fieri per vota quibus ad Religionem ſe oppigneravit, & per media quibus ad illam pervenire poteſt, quod ſi omnia reſpuat, non eſt in ſtatu ſalutis; nam Layman cap. 9. n. 13. dicit, ſi nullũ perfectionis ſtudium adhibeat, ſed omnia monita negligat, ſicut & regulas, eo quod ſub mortali non obligant, peccat mortaliter, tum ob ſcandalum,

tum ob contemptum, ideò ad aliqua media supererogatoria tenetur, etsi non fuerint specialiter præcepta aut promissa; quia aliàs moraliter loquendo, non potest habere debitam intentionem salutis, ita etiam Suarez de Relig. Tom. 4. Lib. 1. Cap. 2.

Media igitur quibus uti debet, ad hoc ut dicatur tendere ad perfectionem, consistunt in eo quod suas regulas observet; ideò qui non est sollicitus illarum, quamvis facilè posset, vel peccat mortaliter, vel saltem est dispositus ad illud, quia vix fieri potest sine contemptu formali, ita Suarez N. 24.

Unum est apprimè notandum à Religiosis, quod quam-

vis illorum Regulæ non obligent ad mortale; si tamen frequenter & ex consuetudine violent illas, non dispensantur à mortali. 1°. Quia perturbant Religiosam disciplinam. 2°. In tali inobservantia est contemptus saltem interpretativus, quo alios malo exemplo inducunt ad regulæ laxitatem. Ita Sanchez Lib. 6. Moral. Cap. 5. N. 8. maximè quia ex tali inobservantia constituit se in eo statu, ut tanquam incorrigibilis sit expellendus, sed qui nullum conatum perfectionis adhibet, & regulas sine discrimine transgreditur, reddit se intolerabilis, ut sit expellendus; aut si toleretur, plurimùm nocet alijs ob incommodum quod Religioni adfert; & de illo

potest dici, quod saltem agat contra professionem & contra vota; sicque nullo modo dispensatur à mortali.

CAPUT VIII.

De Statu Prælatorum.

EX hac occasione quædam de Prælatorum munere seu onere, fineque ad quem sunt destinati, sunt dicenda.

Ut Prælatus est, inspicere debet suos Religiosos subditos, aliquando in speculo lucis paternæ, aliquando in speculo lucis judiciariæ; nam in illo diversa sunt munera gubernandi, dum munus paternum gerit, debet esse suavis, levis &

ámore plenus; dum Judex est debet esse severus, & rigidus ad correctionem aptandam, in qua tamen potius humana misericordia apparere debet quàm rigorosa justitia; ideò stateram in manu ad æquilibrium ponere debet. Ex Can. omnis qui Dist. 45. ubi sic habetur. Omnis qui justè judicat, stateram in manu gestat, & in utroque penso, justitiam & misericordiam portat; sed per justitiam reddit peccanti sententiam; per misericordiam peccanti temperat pœnam: Ut justo libramine quædam per æquitatem, quædam verò per misericordiam indulgeat, quia justitia compassionem habet. Ideò justitia semper oleo misericordiæ est mitiganda, & misericordia cum

severitate temperanda; nam sicut impunitas est absolutè fugienda, ita & excessivus rigor fugiendus; rigor enim est juris excessus, & summum jus summa justitia vocatur, sanguinem elicit, qui nimis emungit, ex Cap. nisi cum pridem de renunciatione.

Prælati igitur Ecclesiastici ad gratiam & clementiam potius proni esse debent, quàm ad puniendum, vindictam quidem principaliter intendere debent; sed ad emendam, & correctionem, cum eorum officium, & præcipuus finis sit, peccatorũ & delinquentium saluti magis providere, quàm pœnam exigere; ex charitate igitur non ex severitate agere debent, ut colligitur ex Can.

fraternitas tua 12. Q. 2. quia assimilari debent parenti carnali, qui verberibus excipit filium, quem tamen amore paterno eumdem respicit, illique omnia bona conservat. Ideò prælati cum subditorum sint patres, debent esse omnia in omnibus, & potius propendere debent ad misericordiam, quàm ad rigorem, legatur Can. licet Dist. 45 ubi sic habetur. Plus erga corrigendos agit benevolentia, quàm severitas, Plus cohortatio, quàm comminatio, plus charitas, quàm potestas. Nam si Dominus statim post trinam negationem, Petrum Apostolum præceptorem nostrum judicasset, non tantum ex eo fructum, sicut fecit, recepisset, maximè quia sic ordinatur à

Trid. ss. 13. Cap. 1. de reform. loquendo de Episcopis. Illud primùm eos admonendos censet, ut se Pastores non percussores esse meminerint, atque ita illos tanquam filios & fratres diligant, elaborentque ut hortando & monendo, ab illicitis deterreant; & paulò post ait. *Cum sæpè plus erga corrigendos agat benevolentia, quàm austeritas, plus exhortatio, quàm comminatio, plus charitas, quàm potestas*: Sin autem ob delicti gravitatem virgâ opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia judicium, cum lenitate severitas adhibeatur; & ideò Prælati pro quocunque delicto non debent illicò fulminare ita ut excommunicent,

ſuſpendant, aut interdicant; quia ſi quoties homines peccant, ſua Fulmina immittat Jupiter, brevi tempore inermis erit.

Prælati igitur unum ſibiipſis præcavere debent, quod ſuos ſubditos opportuno tempore redarguere, corrigere, caſtigare, punire teneantur ſub pœna peccati mortalis, quia de illorum manibus ſanguis ſubditorum requiretur, ex Cap. irrefragabili de officio Judicis; ideò Prælatus in agendis magnâ prudentia pollere debet, utpotè quia illa dirigit omnes virtutes, non ſolum morales, ſed & ſupernaturales. Ut docet *D. Thomas* 2. 2. *Q* 47. *Art* 10. *ad prudentiam pertinet rectè conſiliare, judicare & præcipere de his per*

quæ pervenitur ad debitum finem; manifestum est quod prudentia non solum se habet ad bonun privatum unius hominis, sed etiam ad bonum commune multitudinis, quod seriò ruminare debent Prælati Ecclesiastici, maximè regulares. Tractant Viri doctissimi de Prælatis, potissimùm Suarez Tom.4.de Relig. Tract. 3. Lib. 10. Sayrus in Clavi Reg. Lib. 12. Arectinus in Pract. Mansus de modo procedendi in caus. Reg. Peyrinis Tom. 2. de Prælato. Franciscus à S. Juliano in suo Tribunali regul.

Sic igitur finis istius Epitomes ad laudem & gloriam Sanctissimæ Trinitatis, quâ movente & protegente incepi, & favente feliciter finivi. Ipsi igitur honor & gratiarum actio, nunc &

in perpetuum. Hoc tamen opus Sanctæ Matris Ecclesiæ censuræ cœco modo & toto corde submitto, voveo, dedico & offero, sicut & Peritorum judicio. Esto igitur istis contentus, Amice Lector.

FINIS.



INDEX

Materiarum quæ in hoc Tractatu continentur.

